
DE VITA ET MORIBUS IOANNIS DE ALMEIDA SOCIETATIS...

Antonio : de Macedo





ZIONALE
VITT. EMANUELE
14
1 A
36


DE VITA
Et Moribus
IOANNIS
DE ALMEIDA
SOCIETATIS IESV
PRESBYTERI

ANTONIO
DE MACEDO,
Lusitano Conimbricensi

Eiusdem Societatis Authore.







VENETIIS. M.DC.LXIX.

Apud Nicolaum Pezzana

Superiorum permissu, ac Priuilegio.

IOANNI PAVLO OLIVAE

Præposito generali Societatis IESV.

Epistola nuncupatoria.



I mihi vti iustum est votum, ita par voto facultas esset, non dubitarem, qui in officio erga te meo, Pater Optime, cumulatissimè satisfacerem. Quid enim æquiùs, quàm, qui ex meorum tibi debentur studiorum contentione, fructus, eos illi à quo possunt exigi, reddere, & à te suscipi quæ sunt tua? Rursum quid iniquius, quàm illud afferre, quod cùm rude ac impositum sit, dignitati ac splẽdori tuo minimè respondeat? Sed curandum potiùs quid oporteat, quàm querendum

an congruat? Erit benignitatis tuæ si humile sit opus, attollere: si tenue, augere: si obscurum, illustrare. Et quidem tam abundas ornamentis & naturæ, & artis vt nihil sit ingenio tuo congruentius, quàm ornare eos quos vel natura destituit. Natus ad bonum commune Reipublicæ studia tua omnia eò retulisti, vt orbi vniuerso proficeres. Hoc nomine inisti Societatem, quòd ex instituto aliorum saluti se addixit. Romæ commoratus, vnde quasi à capite per mundi partes se virtus diffundit. Idcircò inter alia, quæ obijsti doctrinarum munia, Oratoris imprimis Sacri suscepisti, vt latiùs, & liberiùs tua ad omnes documenta manarent. In quo te excellentem adeò prębuisti, vt summi te Pontifices tres Innocentius, Alexander, & Clemens IX. tanto viri ingenio & iudicio, oratorem esse iusserint: quibus & toti purpurato Senatui operam tuam vehementer proba-

sti,

ſti, & magnos apud cæteros di-
cendo clamores feciſti. Extant
tuæ, eæque typis mandatę con-
ciones præclaræ, quæ vel lectæ
docent, delectant, mouent, & iu-
ſtam Perfecti concionatoris ideam
exhibent. Itaque eis qui vniuerſæ
Chriſtianæ Reipublicæ præerant,
ac proderant quodammodo pro-
feciſti. Ex hoc te curriculo laudis &
gloriæ ad ſe Societas reuocauit *vt
Vicegeneralis* eſſes eius, cui per vale-
tudinē non licebat munerę ſuo fun-
gi. Paruiſti imperio & neceſſitati;
nec tamen quidquam de proficien-
di ſtudio remiſiſti. Iam quippe an-
teà priuatus & toti Societati conſu-
lebas, & vniuerſi, per quam illa
funditur, mundi ſalutem curabas:
quod quidem hodie propriè, ac ex
integro præſtas, poſtquàm, eo de-
functo Societati generalis præes,
ea expectatione, vt nemo ſit quin
ei ſummam deinceps felicitatem
auguretur. Equidem tibi in hoc
publicæ dignitatis & virtutis faſti-

gio constituto. Vitam priuati nostræ Societatis hominis afferre vix audebam, cùm præsertim ille non in media Christiani populi luce, sed in semoto Brasiliæ angulo vixisset, & laborasset. Sed nullos ego magis ad Societatem pertinere arbitror, quàm eos quos studium & ardor proferendi Euangelij, & propagandæ fidei longiùs auexit. Hi quò magis sunt ab Europa nóstra remoti, eò propiùs ad nostrum institutum accedunt. Hæc mihi ratio animos fecit, atque hoc nomine Operarij excellentis spero fore ut à te, humanissime Pater, beneuolè excipiatur. Eum certè eximia virtus, indefessus labor, incredibilis animorum profectus, non sine specie mirabilium operũ clarum vbique, & gloriosum reddiderunt. Id confirmo tam me esse legendo ad omnia pietatis officia commotum, vt existimem quicumque in eam inciderint, non minùs ad eadem commotum iri. Quare illam è vul-
gari

gari idiomate in latinum verti, & multis auctam partibus, recto, ni fallor, ordine digessi, & nomini tuo dicaui, vt plures ad lectionem allicerem. Curaui quippè, vt quos nec res gestæ ignoti hominis, nec stylus inelegantis authoris trahere poterat, eos obiecta in primo aditu operis eximia excellentis tuæ virtutis species incitaret. *Paternitatem tuam* Deus immortalis ad sui nominis gloriam, & Societatis decus, & ornamentum quàm diutissimè seruet incolumem.

Obsequentiss. in Christo Filius, & Seruus
Antonius de Macedo.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.




ITAM Ioannis de Almeida Societatis IESV presbyteri Simon Vaſconcellus eiuſdem Societatis Sacerdos vernacula ideſt, Luſitanica lingua, ſcripſerat; quæ cùm pro magnitudine imperij, & armorum gloria anguſtius habitet, & minus ſit exteris gentibus perſpecta, eam latinè (qui ſermo communis eſt) reddere ſtatui. Et verò decebat, vt quæ geſta per ſe magna, & clara erant ab anguſtijs linguæ, & à tenebris barbaræ regionis liberata palam fierent; & in locis conſpicuis latini operà calami eminerent. Atque is mihi ſcriptionis finis propoſitus eſt, vt quæ homo priuatus, & in remotiſſimo loco geſſit, ijs publici iuris factis omnes quarumlibet regionum ad exemplum facilè vti poſſent. Ac noſtri homines inprimis, quorum officij fore duco ad eam ſe conferre effi-

giem,

giem, quam suis ac veris coloribus re-
presento: domestiticis enim magis, quàm
externis exemplis afficimur; & ad cōpa-
randas virtutes, quibus maiores nostri
floruerunt, iustiùs & vehementiùs inci-
tamur. Et quia non minùs ille virtuti-
bus, quàm prodigijs, mirabilis fuit, ea
vti se in Historiæ decursu obiecerint, ob-
lata vendicabo, & suis intexam locis,
habita maximè temporum, & locorum,
in quibus vixit diutiùs, ratione. Cæte-
rùm & si interpretis in hoc opere officio
fungor, interdum Scriptoris partes ago:
vbi verto, fidelis: vbi narro, sincerus es-
se studeo: nec quicquam vel admitto, vel
profero quod non sit idoneis testimonijs
nixum: & quod caput est, Proepiscopi
Brasiliæ authoritate firmatum: quare ni-
hil est quod moretur fidem legentium.

PROTESTATIO AVTHORIS.



Anctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. Anno M. DC. XXV. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis decretum edidit, idemque confirmauit Anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum qui Sanctitate, seu martyrij famà celebres obierunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij; & quæ hactenùs sine illa impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem Pontifex anno 1631. ita explicauit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, aut Beati absolutè; & quæ cadunt suprà personam,

benè

bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quòd ijs nulla ad sit authoritas ab Ecclesia Romana: sed fides tantùm sit penes Authores. Huic decreto, & illius declamationi insistendo, profiteor me sensu ijs prorsùs conformi omnia & singula quæ in hoc opere scribo, accipere, atque ab alijs accipi velle.

IOANNES PAVLVS Oliua Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm Vitam Ven. Serui Dei Ioannis de Almeida ex lusitano idiomate in latinum conuersã à P. Antonio Macedo nostræ Societatis Sacerdote, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas sigilloq; nostro munitas damus Romæ 13. Decembris. 1664.



DE VITA ET MORIBVS IOANNIS DE ALMEIDA

S.I. Presbyteri.

LIBER PRIMVS

CAPVT PRIMVM.

Ioannis natales, educatio, infantiæ pericula.



Ondini, quod florentissimi Angliæ Regni caput est, Ioannes, Anno à partu Virginis M. D. LXXII. lucem vidit, Parentes illi contigere Catholici, pietate, quàm genere nobiliores. Patri nomen fuit

Ioannes Mada; qui plurimis ex legitima coniuge ſuſceptis liberis, huic natu minimo Ioannis indidit nomen, eumque cæteris dilexit teneriùs, tum quòd altam præ ſe ferebat indolem; tum quòd ſibi ſimillimum natura fecerat. Vixdum filius cæperat viuere, cùm mater deſijt, quaſi quę talem genuiſſet filium, nihil ei deinceps inter mortales agendum ſupereſſet.

Regnabat per id tempus in Anglia Eliſabetha, virilis animi fæmina, dubia rerum & morum famà, quæ nefarium Romanæ Sedi bellum indixerat, & multorum hæreſum peſtes in omne ſuum Regnum inuexerat; ſeque, nouo portento, Anglicanæ Eccleſiæ ferebat caput. Idcircò Ioannes Mada, vt erat antiquę religionis amans, ſatisque intelligebat, quantum eſſet in optima educatione momenti, rectè ſe facturum putauit, ſicubi virum aliquem pium & grauem, bene Catholicum nanciſceretur, cui filium ſana doctrina, Romano ritu, probisque moribus imbuendum committeret. Auiæ etiam paternæ fæminæ prudenti, & in paucis religioſæ nepotis curam demandauit, vt

eum

eum matris ſolicitudine & amore ad pietatem informaret. Et quidem puer vt erat candida & cerea à natura indole, tradita à Magiſtris virtutum documenta reddebat moribus; & probitate ac modeſtia maiorem præ ſe ferebat ætatem: & vti ferè viris ad egregia natis, quò quemque celſa indoles, & diuini Numinis prouidentia ferat, prima ſtatim argumento eſt ætas, iam tum ab infantia imitandis Eccleſiæ Sacris, & ſuis ad Deum fundendis oratiunculis Ioannes prodidit, quod olim viuendi inſtitutum ſectaturus eſſet. Nec verò illi defuit elegans totius corporis forma & conſtitutio: adeò animo, pulcherrimo corporis hoſpiti, pulcherrimum etiam hoſpitium prouidentia diuina fabricauit.

Vix octauum ætatis annum attigerat, cùm Satanas quantus tandem vir eſſet futurus certò pręſagiens, eum de medio tollere cogitauit. Ergò nocte quadam, aſſumpta nigerrimi felis ſpecie, dormientis fauces comprimere, & gulam interſtringere conatus eſt: quo in diſcrimine excitus à ſomno puer, vt ſe a timore collegit, ſigno crucis frontem muniuit,

niuit, & Sanctiſſima IESV MARIÆ nomina inuocauit: ijsque munitus armis felem abegit: ac ſubitò delapſi è cælo affuere Angeli multa perfuſi luce, qui partam de tartareo hoſte victoriam muſicis concentibus celebrarunt.

Vbi ſe illa bellandi arte nihil proficere intellexit humanæ ſalutis hoſtis, longè diuerſam pugnandi rationem inijt. Habitabant in eadem domo puer & fæmina quæ ſe virginem ferebat; huic malus dæmon faces ſubdidit, vt per eam pueri virginitatem expugnaret: facilè concepit ignem mulier, vt potè dæmonis fraudibus obnoxia, neque iam aliud meditabatur, quàm quomodò puerum in ſui amorem pertraheret: crebrò ac libenter in eius conſpectum ſe dabat: ſermonem auidè captabat: adijciebat cæteros cupiditatis igniculos; ſed quòd minùs ijs proficeret, tandem ſolum in loco remoto ab arbitris deprehenſum vltrò verbis & factis ad turpe flagitium prouocat: at ille certus fugam, eamque maturam optimum ad vincendos pudicitiæ hoſtes eſſe remedium, celeri ſe indè fuga proripuit, & periculo ex-

pli-

plicauit. Porrò cùm ſuis ille viribus parùm confideret, & hæreticos inter Catholicum ſe gerere rem periculi plenam eſſe duceret, graſſante eo maximè tempore per Angliam hæreſi, & continentis incendij more cuncta depaſcente, patriam domum, Angliamque relinquere, & in Luſitaniam traijcere decreuit, vt inter Luſitanos Catholicam religionem palàm profiteretur; & comperto idoneo aliquo inſtituto vitæ honeſtè, ac tutò ætatem traduceret. Hoc igitur ſibi conſtituto, onerariam, quæ per id fortè tempus Londino ſoluebat in Luſitaniam, repentè conſcendit: tranſmiſſoque mari ad Vianæ portum appulit. Celebre id eſt, & opulentum in ea Luſitaniæ prouincia, quam vocant *Interamnenſem* a duobus Minio, & Durio fluuijs, qui illam claudunt, Emporium, viginti ferè milliarijs Brachara Auguſta diſiunctum, aperto ad Galletiæ mare portu nobile, virorum imprimis fortium, illuſtriumque natalibus clarum.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Ioannis pueritia Vianæ; & in Brasiliam nauigatio.

MOrabatur id temporis Vianæ Benedictus Rocha Bezerra, vir honestus & copiosus, qui Ioannis parentem Londini quondam nouerat, eoque familiariter vsus fuerat, dum illa in Vrbe mercaturæ causà versaretur. Is veteris amici memor venientem ex Anglia filium omni prorsùs humano subsidio destitutum, domi benignè excepit, & paterno fouit amore: mox ei probatum magistrum quæsiuit, qui cùm puerum ad omnem virtutem formaret, tum instituta & mòres simul cum sermone Lusitanæ gentis perdoceret: vsu enim constat quanti referat eorum quibus cum agas ritus & linguam tenere. Accessit quòd fæmina magno natu Benedicto consanguinea, egregià pueri forma, & indole capta, illius matrem agere

& magiſtram voluit: ac vt erat eximiè pia, hoc vnum imprimis egit, vt Ioannes non minùs diſceret ſanctè viuere, quàm rectè loqui. Nec irrita ſpes docentis fuit; enimuerò cum eſſet puer ingenio docili, facilè magiſtros ſequebatur quocumque ducerent.

Contigit paulò poſt quod vix miraculo eximas. Altam conſcenderat arborem ea fortaſſe mente vt indè decerperet poma. Cæterùm veſtigio fallente delapſus ad terram præceps venit, & grauiter dextrum latus iacenti fortè ſaxo alliſit: mortuo ſimilem familiares domum retulerunt, & coniecerunt in lectum: ibi iam ſibi redditus opem a Deo implorauit; & præſentem confeſtim expertus eſt: ſedatis quippè repentè doloribus ſanum ſe ſenſit & confirmatum, integris non ſolum membris, ſed etiam viribus.

Illo defunctus uitę periculo, pueritiam iam egreſſus, & tractandis ſeculi negotijs habilis, ſiue ut morem gereret Benedicto Rochæ Bezerrę, quem parentis loco habebat: ſiue inanis lucri dulcedine allectus,

mer-

mercaturam facere cæpit; atque ad illam quæstuosiùs exercendam, in Brasiliam, opulentam noui orbis regionem Lusitanorum imperio subiectam, nauigare instituit. In quo diuini Numinis prouidentiam mirari iure debemus, quæ Ioanni pecuniarum lucris inhianti, & idoneum ad illa comparanda modum perquirenti, transmittendi in Americam mentem immisit, ut ibi studio repentè conuerso è fluxis seculi rebus ad æternas animum reuocaret; & alter Brasiliæ Apostolus, demortuo Iosepho Anchietæ non minùs prodigijs quàm uirtutibus (si fas est dicere) par existeret.

CAPVT TERTIVM.

Brasiliæ situs & fertilitas, maximè Pernambuci; incolarum item mores attinguntur.

BRasiliam nobilem Americæ Australis prouinciam esse constat, quam

quàm Petrus Alures Capralis Luſitanæ claſſis Præfectus dum in Orientis Solis Indiam curſum dirigeret, longiore, quàm par erat, ambitu ad Auſtrum facto, felici nauigationis errore, primus aperuit, Anno ſalutis humanæ M. D. Americus poſteà Veſpucius Florentinus, Emanuelis Luſitaniæ Regis auſpicijs, eamdem accuratiùs explorauit. Initium a Septemtrione capit duobus infrà Æquatorem gradibus: Auſtrum versùs ad gradus quinque ſuprà triginta excurrit. Orientalem oram immani tractu Oceanus Atlanticus alluit. Ad Occaſum altiſſimos ſpectat montes, qui illam a Peruuia, ditiſſima Hiſpanæ ditionis prouincia, diſterminant. Oræ maritimę ductus amplo ſanè gyro ad mille ferè leucas protenditur. Pręcipuę ad mare Vrbes, arceſque munitæ viſuntur aduersùs hoſtium claſſes a Luſitanis extructæ, quarum caput *Omnium Sanctorum Bahia* dicitur, non minùs opibus, quàm armis potens, propria Braſiliæ Epiſcopi, & Regij Præfecti ſedes; Regio inprimis amæna eſt, & fertilis; cæli admodum iucunda, ſalubriſque temperies: abundat vbique fon-

fontibus & amnibus inclytis. Semina terræ credita multiplici prouentu reddit, Saccari præſertim ferax, quod multis inde nauibus in Europam euectum ingenti mercatorum lucro longè latèque diuenditur. Hæc verò ſoli fæcunditas, & cæli clementia cum indigenarum feritate, & morum turpidine ex ęquo videtur contendere. Sæuiſſima quippè ſunt Braſilis ingenia, ad cædes prona, & humanis veſci carnibus aſſueta; nec minùs in crapulam, veneremque ſoluta. Tam alta ijs incumbit barbaries, vt ſola corporis formà homines præferant, cætera belluas repręſentent. Adeò deprauati mores rationis lumen extinguunt. Aſſiduo tamen cum Luſitanis vſu, cõmercioque, detrita iam magna ex parte barbarie, cultiores in dies mores accipiunt; & ad Chriſtianam humanitatem noſtrorum maximè opera hominum informantur, & poliuntur.

Colonię quatuordecim, quas Pręfecturas appellant, vniuerſam diſtinguunt regionem, vti Scriptores Luſitani communi conſenſu tradunt; quibus tanquam ſuarum rerum peritioribus, certa fides habenda eſt; quid-

quidquid ſcribant, re minùs benè examinata, Antonius Herrera, Regius Caſtellæ Hiſtoricus, Atlas nouus, aliique Authores externi. Omnium Coloniarum florentiſſima Pernambucenſis habetur, vel certè nulli ſecunda, cùm cæli temperie, tum ſoli fæcunditate. Olinda (ſic oppidum Luſitani vocant) totius Præfecturæ caput, in edito ſita eminet, quòd pulcherrima ſit, & ſpectatu digniſſima, aduſque maris littus per inæquales vallium traſtus, & longos platearum ductus èffuſa; ciuibus honeſtis & opulentis frequens; ædibus magnificis, templiſq; auguſtis conſpicua. Sacrarum præterea familiarum nobilitata cænobijs. Societatis præſertim I E S V collegium in ſummo montis vertice erectum Vrbis maieſtatem auget, & primum ſe ex alto terræ adnauigantibus oſtentat. Fertiliſſimus verò ager rerum omnium abundat copia, ad delicias etiam & voluptates; quas indè magno cum Braſiliȩ, & Europæ vniuerſæ bono negotiatores exportant. Hȩc tamen fuſius deſcribere noſtri inſtituti non eſt. Illud ſilentio prȩterire non poſſumus. Procedente die, Anno

no videlicet M.D.CXXX. Pernambucus ab Hollandis instructa eò clafse delatis, capta est; & Olinda solo æquata: huius erecta loco Mauritiopolis, nobilis, & frequens Hollandorum Colonia, cui Ioannes Mauritius, Nassouię Comes, qui multis Pernambuco annis suprema cum potestate præfuit, nomen dedit. Creditum est à viris prudentibus captam ab hostibus Coloniam, vt Lusitani meritas ea ratione irato deo pœnas luerent; prospero quippè fortunę cursu ad ingentes opes, nimiamque euecti potentiam, Christianæ honestatis parùm memores in magna rerum omnium licentia vitam agebant, Lusitano indignam nomine, indigenasque ipsos in diram seruitutem per grauissimas abducebant iniurias.

Affecit ea clades pari ferè damno ac dedecore Brasiliam, & Lusitaniam, quod illius maximè Præfecturæ commercio vtraque ad immensas excreuerat opes, & integrum Brasilici tenuerat maris imperium; quod fauente Batauis fortuna belli,

ijs, ceu victoriæ appendix, cesserat?

Decurrente tempore, Sceptrum Lusitaniæ iam tenente Ioanne Rege, huius nominis IV. de repetenda armis Colonia Lusitani cogitarunt. Igitur Anno Christi M DC LIV. collectis vndique in Pernambucum viribus, & toto aduersùs hostes impetu belli verso, magnis eos attriuerunt cladibus, & ex omnibus Coloniæ finibus expulerunt. Ita malè ab Hollandis parta, breui amissa.

CAPVT QVARTVM.

Ioannis studia, & pericula Pernambuci.

VBi primùm attigit Pernambucum (is primus venientem è Lusitania Brasiliæ portus excepit) in alterum penè virum, Dei beneficio, repentè mutatus, in Nouo illo Orbe, veteri exuto homine, nouum induere visus est, & sanctius quoddam instituere vitæ genus. Primum omnium mercaturæ negotijs se expediuit, ne sibi impedimento essent ad meliora tendenti: mox ad confessionis, & Eucharistiæ Sacramenta frequenter accedere, cum religiosis viris

ris agere, singulis diebus missæ sacrificio interesse; Deiparam præcipua religione colere; multisque ab illa precibus exposcere, vt quod vitæ genus Deo gratius, sibique vtilius foret, id ipsi vellet significare. Pauci decurrerant à suo in Brasiliam aduentu menses, cùm ad litterarum studia animũ appulit, vt illarũ præsidijs instructus faciliùs posteà, & fructuosiùs in sui, & aliorum salutem incumberet. Prima in Societatis Gymnasio Grammaticès rudimenta posuit, humanioribus deindè littetis non sine ingenij laude, vacauit: ijsque iam probè instructus, & humanarum rerum tædio affectus ineundæ religionis consilium cepit, in qua rerum omnium possessione exutus diuinæ gloriæ seruiret, salutique animorum. Ac ne de re tanti momenti solius sui ingenij viribus confisus temerè deliberaret, confessarium suum adijt, virum pium, ac prudentem è Societate IESV, cum quo de eligendo vitæ instituto per aliquot dies contulit: eoque religionis ingressum multis rationibus suadente, eamdem Societatem elegit, cui nomen daret, illa potissimùm ratione motus, quòd egregiam vbique

gen-


gentium propagandæ religioni Catholicæ nauaret operam, cuius in ipsa Brasilia prçclarum dabat specimen. Hac igitur mente Martialem Beliartem, Prouinciæ Brasilicę Præpositum, qui per eos dies inspiciendi causa collegij Pernambuci versabatur, conuènit; ab illoque, vt se Socijs adscriberet, multis cum lacrymis postulauit. Nequaquam tamen obtinuit: nam etsi Prouincialis eum peramanter exceperit, & seruiendi Deo in Societate consilium probauerit; adolescentiæ tamen veritus inconstantiam, ingressum in aliud tempus differendum censuit, dum & ætatis imbecillitati plus roboris, & suscepto religionis consilio plus firmitatis accederet. Spe igitur ineundæ Societatis in longum extractà, humanitatis studia repetijt, & alacriùs ad discendum incubuit vtilitati ducens ingenium eo litterarum genere magis excolere.

Paucis post diebus ingens vitæ discrimen adiuit. Olindam propè arx medio assurgit mari, natura, & arte munitissima *Recifii* nomine, & fama celebris, quæ obiectis in mare cautibus procurrens sinum efficit multarum capacem nauium: hùc se Ioan-

nes, voluptatis caufa, aliquandó retulit: dumque è fummo impendentis Oceano rupis, prono incumbens vultu curiofiùs, quàm par erat, aduentantes fpectaret naues, allifus magno impetu ad rupem fluctus, ingenti fragore fpectantem primùm exterruit; deindè abripuit; tandem præcipitauit in maré; & quia natandi peritus non erat, & præ metu vix conftabat animo, ad extremum venerat vitæ periculum; ac prorsùs perijffet fluctibus hauftus, nifi in tam præfenti difcrimine a Deo auxilium implorafset. Mirum dictu: de repentè, qua ratione id fieret omninò infcius, à medijs fluctibus in littus deuehi inopinatò fe fenfit. Id non vulgare aliud excepit diuinæ clementiæ argumentum. Brafilus quidam procero corpore, afpectu toruo, ardentibus oculis (fpeciem haud improbabilem Satanæ furentis præbebat) ab fcholã domum redeuntem nodofo baculo ex infidijs repentè aggreffus brachium in altum extulit, vt violentiùs in prætereuntis caput ictum demitteret; verùm auertente Deo aliò manum ex ipfo iam intento capiti baculo mirabiliter ereptus eft.

His

His a Patre cœlesti deuinctus beneficijs, quod antè ceperat consilium, idipsum denuò resũpsit ardentiùs, vt Societatem ingrederetur, in qua perfectum se, atque integrum Deo holocaustum offerret. Rem iterum vrgere, & Deiparæ patrocinium ad eam obtinendam multis institit solicitare precibus. Die quadam cùm solito vehementiùs in solitario oraret loco, sensit se ad petendam Societatem acrioribus quibusdam stimulis impelli. Erecto igitur in certam spem animo lætus, & alacris ad Collegium se contulit: ibique participato Prouinciali, quod sibi altè insederat amplectendæ religionis proposito, multis & supplicibus verbis orat, vt se voti compotem faciat: moræque omnis impatiens ad eius pedes abiectus, ita rogans, obtestansque perseuerauit, vt continuò domum admitteretur.



CAPVT QVINTVM.

Babiæ tyrocinium ponit: inde in Spiritus S. Coloniam tendit.

ANno post Christum natum MDXIII. die prima Nouembris, omnium Sanctorum dicata solemnijs, Societati IESV se aggregauit, in ipso iuuentutis flore, cùm paucis diebus alterum supra vicesimum superasset annum. Pernambuco, vbi tum habitabat, relicto, Bahiam, Vrbem totius Brasiliæ Principem, concessit, vt religiosæ militiæ rudimenta in illius Collegij tyrocinio poneret. Iter virtutis ingressus eum in Nouitiatus stadio impetum cepit, vt freno contineri, non calcaribus incitari opus fuerit. Tria sibi potissimum proposuit; amorem rerum diuinarum, humanarum contemptum, odium in se. Eò curas omnes, & neruos contulit; auocare à caducis, & mortalibus mentem: ad cęlestia, & diuina transferre: colligere sese; meditationi insistere; reuocare ad calculos animum; instare precibus; silentium sibi indicere,

cùm

cùm loqui permittebatur, non nisi de rebus diuinis habere sermones. Duriter, & asperè se accipiebat; oculorum licentiam frenabat modestia; appetentiam gulæ frangebat, interdum ieiunio, interdum detracto quod acriùs gustum mouebat, & suauiùs prouocabat; noctu, vti erat vestitus, in nudo cubabat solo: cilicio perpetuò ferè vtebatur: flagris quotidiè se cędebat acerrimè. Nil tamen illi fuit antiquius, quàm prauos animi motus comprimere, impetus naturæ frangere; affectiones, & perturbationes mentis componere; inquirere in se sæpiùs, in speculis esse, vt si quos conatus, aut commotiones a ratione abhorrentes deprehenderet, ijs, ne temerè se proderent, aditus præcluderet, & in ipso ortu opprimeret. Despicientiam rerum humanarum testabatur sordidus habitus, humilis incessus, officia abiectissima, victus ostiatim mendicatus, mensa cum pauperibus communis, itiones in forum cum sportula: & quauis alia abiiciendi sese occasione, vel oblata, vel quæsita, perspiciebatur, quàm verè, & ex animo honores negligeret. Nec ijs contentus, in reliquarum etiam vir-

tutum ſtudium tanto proficiendi ardore incubuit, vt ſuos poſt ſe comites longo interuallo relinqueret: nec dubitabat tyronum Præfectus, qui tum erat Marcus à Coſta, inſigni probitate, ac doctrina vir, eum pro forma cæteris ad imitandum proponere. Primo probationis, vti vulgò appellant, anno iam exacto, Spiritùs Sancti Coloniam, non ſine ingenti labore, contendit, vt ſecundum ibi annum decurreret, eaque ratione integrum biennij ſpatium, quod emittendis de more votis præmitti ſolet, iuxta proprias Societatis leges impleret.

Laborabat eo tempore graui operarum inopia Braſilia Prouincia, neq; Societatis homines vlla magis angebat cura, quàm vt multi ex Europa Socij ad tam amplum excolendum campum mitterentur: nonnulla quidem ſingulis ferè annis ſubſidia Luſitania ſubmittebat, ſed maior quàm pro numero venientium meſſis erat. Porrò ex ijs, qui in Braſilia verſabantur, alij erudiendis iam ad fidem conuerſis, atq; in ſuſcepta religione confirmandis diligentem nauabant operam; nec minori cura iuuandis Luſitanis exemplo, ſermone, & Sacramentis

mentis inſtabant. Alij in regionis abdita alios atque alios faciebant excurſus: & Gentis vicos, ſparſaque per montes mapalia, venatorum more, explorabant, & Euangelij lucem in mediam illam, & tenebris inuolutam barbariem inferebant: & quæ ſumma votorum erat, ab inueterata vagandi licentia ad ſtabiles propè mare ſedes, & cultiorem viuendi modum incolas traducebant. Ad id opus erat noſtris ſui rationem nullam habere; totos ſe in aliorum commoda effundere; grauiſſima ſubire pericula, famem, ſitim, frigora, æſtum perpeti; denique vitam ipſam pro Chriſti gloria, & Barbarorum ſalute contemnere. Verùm in tam alacri animorum procuratione, in proſpero rerum curſu, illa, vti diximus, Euangelij præcones angebat cura, operarum inopia in tanta incolarum copia. Idcircò Societatis Præpoſitis è re Chriſtiana viſum in operis partem Ioannem vocare, iuuenem licet, ac tyronem, ſolidarum tamen exercitatione virtutum emeritis iam viris parem.

Præerat tùm Spiritus Sancti Collegio Ioſeph Anchieta, illuſtrior

suis & virtutibus, & prodigijs, quàm vt commendatione indigeat. Hunc Ioannes virum cęlestis viæ ducem, ac magistrum nactus, morum ideam sibi proposuit, ad quam se componeret: seruare illius dicta, & gesta; modestiam oris; assiduitatem orationis; cibi abstinentiam; sensuum custodiam; cordis munditiem: hæc priùs adumbrare; deinde ad se transferre, ad viuum exprimere. Domi in abiectis culinæ officijs se exercere; infirmorum curam gerere; grauiter laborantibus diù noctuque præstò esse, animo semper hilari, ac læto, cuius pax, & iucunditas in oris perpetua serenitate emicabat. Foris, Lusitanos ad odium vitiorum, amoremque virtutis; ad frequentem Sacramentorum vsum, priuatis sermonibus, quibus multum valebat, compellere: controuersias, rixasque dirimere; mutuam illos inter, & indigenas fouere concordiam: indigenas ipsos de fidei mysterijs erudire; pauperes eleemosynis iuuare; morientibus adesse; afflictos recreare; nihil prætermittere, quod vel ad vtilitatem corporum, vel ad animorum salutem pertineret. Mirabatur Anchieta maturos in viri-
di

di ætate virtutum fructus, & ſenili prudentia, ne impetum animi quem cęperat, remitteret, ſtimulabat: ſed interdum feſtinantis ardorem temperare opus erat, ne præcipiti gradu ad culmen properaret, & præ nimia contentione in medio curſu, vt ſępè contingit, deficeret.

Confecto iam tyrocinio, & magna ſuæ virtutis opinione concitata, Superiorum mandato, liberiùs cępit excurrere in proximos Braſilorum pagos, qui Sociorum curæ, ac fidei ſunt commiſſi, magno, & Fidelium commodo, & Ethnicorum. Aliquot in ijs menſes ſingulari cùm induſtriæ, tum modeſtiæ laude verſatus, virtutem ſuam genti vniuerſæ, & Societatis maximè Præpoſitis ita probauit, vt eum ad curandas in poſterum animas, & obeundas prædicandi Euangelij cauſa miſſiones natum, factumque iudicarent omnes.

Eſt in hiſce Braſilis ad Chriſtianam pietatem formandis certa iam à noſtræ Societatis operarijs præſcripta ratio quam Ioannes, quantum licuit homini nondum ſacris ordinibus initiato, ad vnguem ſeruauit. Appetente ſcilicet die, ære campano ad Saluta-

tationem Angelicam ſignum datur; illo exciti pueri, ac puellæ celeriter accurrunt, in binoſque partiti ordines ad templum, ſupplicantium ritu, procedunt. Ad portam tandiù morantur, donec alternis pſallentes tertiam roſarij partem percurrant: mox templum ingreſſi miſſæ Sacrificio interſunt: miſſam breuis Catechiſmi expoſitio conſequitur patrio ſermone, omnibus communi; quibus ritè peractis, puellę ad lanificium demum redeunt; pueri ad ſcholas ſe recipiunt, in quibus, pro cuiuſque ingenio, ac propenſione, partim in litteris, partim in varijs opificijs exercentur, vt ex eadem diſciplina ſimul cum honeſtæ vitæ ratione viuendi accipiant facultatem. Diebus feſtis mos eſt rem diuinam ſolemni ritu celebrare harmonico cantu, & varij generis ſymphonijs, quæ rerum ſacrarum dignitatem augent, & venerationem conciliant. Conſtat Braſilos nulla re ad pietatem magis, quàm modis muſicis permoueri; eam ob cauſam pleraque fidei Chriſtianæ myſteria, quò ſuauiùs aſperis mandentur ingenijs à Societatis hominibus pijs cantibus inſeruntur. Sub veſperam rursùs e-

dito

dito campanà ſigno pueri, & puellæ, ſeruato inter ſe ordine, ſexùſque diſcrimine, ad templum confluunt, ijſque explicatur pars altera Catechiſmi. Ad Crucem denique modico à templo interuallo erectam alternis canentes ſupplicationem inſtituunt, ibique in genua flexi pro animis purgatorias pœnas luentibus preces fundunt, quibus expeditis domos repetũt. Huiuſcemodi exercitationibus Braſili pueri ad Chriſtianam finguntur religionem; & quò tenerior illa eſt ætas, eò faciliùs ad pietatem flectitur, & multiplici culturæ Sociorum fructu reſpondet. Adulta verò iam ætate viri, fœminæque, etſi inſtitutum iam patrijs moribus vitæ curſum difficiliùs deſerant, aſſiduis tamen noſtrorum laboribus ab innata feritate, corroboratiſque per longam ætatem vitijs ad religionem pariter, & humanitatem traducuntur: harum certè ſunt indicia, quòd ſtatis horis quotidiè antequam ad ruſtica & fabrilia opera ſe conferant, rei diuinæ interſint; quòd menſtruas confeſſiones non omittant; quòd pacem colant; quòd fidei magiſtros obſeruent; quòd auguſtiſſimũ Euchariſtiæ

Sa-

Sacramentum, & B. Virginem singulari studio prosequantur. Hebdomadæ potissimum Sanctæ dies toti ad mærorem compositi in lacrymis, & oratione consumunt; varijsque pænarum modis eo tempore corpus discruciant. Dies verò lustrales, præcipuè Deiparæ sacros, vt solemnes, & religiosos colunt, magno ad templum concursú, & pietatis sensu. Itaque iam percrebuit inter Lusitanos, nostrorum operà hominum factum esse, vt Brasili primæuæ Ecclesiæ fideles, vel adumbrent, vel etiam referent cùm morum candore, tum vitæ integritate.

Hanc ferè cum Neophytis agendi rationem Ioannes tenuit, quandiù in illorum pagis moratus est. Cæterùm quamquam multum in ijs ad pietatem excolendis operæ collocasset, plus tamen insigni probitate, ac modestia, quàm rebus alijs valuit ad continendos in officio Fideles, Ethnicosque ad fidem perducendos: quò liquidò constitit ad animarum salutem procurandam maiori momento esse sanctimoniam, quàm doctrinam.

CAPVT SEXTVM.

Litteris operam nauat in Fluuio Ianuario: Bahiæ Sacris Ordinibus initiatur.

GRauioribus diſciplinis nondum ſtuduerat Ioannes, amæniori-bus contentus, quas didicerat in Gymnaſio Pernambuci antequàm Societati nomen daret: multum quippè de comparandis animi virtutibus, parùm de ingenio litteris perficiendo cogitabat; ſatis gnarus maiori apud Deum in pretio virtutem eſſe, quàm ſapientiam. Cæterùm Prouinciç Braſilicæ præſes ad Dei gloriam magni intereſſe iudicauit, reliquis, quibus excellebat, virtutibus doctrinæ ſplendorem, & altiorum ſcientiarum cognitionem adiungere; quòd illarum commendatione tutiùs, & fructuoſiùs poſſet in proximorum ſalutem incumbere. Ioanni ergò præcepit vt in Fluuium Ianuarium ſe conferret (nobile id eſt ad Auſtrum tendentibus Braſiliæ Emporium ſub ipſo Capricorni tropico, ad viceſimum tertium gradum cum dimidio, inter Sancti Vincentij, & Spiritùs Sancti Colo-

nias

nias situm) ibique in Societatis Collegio, quod optimarum artium studijs iam tum florebat, Theologiæ, quam vocant de moribus, vacaret. In eam cùm peruenisset Vrbem litterarijs exercitationibus totum se tradidit pari constantia, curaque. Nihil tamen illi fuit antiquius, quàm ad vnius Dei gloriam studiosum cursum, laboremque dirigere; nihilque de orandi consuetudine, & de viuendi asperitate remittere. Inter ipsum discendi ardorem non tam discipuli, quàm magistri partes egit, editis tum raræ modestiæ, tum præstantis ingenij documentis; quibus ita se domesticis, & externis probauit, vt ab illo, veluti à communi magistro, virtutem discerent; & ad eum suis de rebus, dubijsque referrent: tantum est in virtute momenti, vt præ illa doctrina lateat; & animi demissio, & modestia oculorum omnium ad se animos, oculosque conuertat. Itaq; non minùs sibi, studendo litteris, quàm alijs virtutũ exempla tradendo profuit: & rectè viuendi documenta nõ tam descripsit calamo, quàm expressit moribus.

Emenso studiorum curriculo, & multa rerum, quę ad conscientiæ quę-

stio-

ſtiones pertinent, cognitione comparata, dignus qui ſacris ordinibus initiaretur, ab omnibus eſt iudicatus; Bahiam igitur nauigatione tranſmiſſit, propriam Braſiliȩ Epiſcopi ſedem; is erat eo tempore Conſtantinus Barradas præſtanti virtute, ac doctrina præſul; qui Ioannem per omnes ordinum gradus ad apicem Sacerdotij euexit. Ad obeundum pro dignitate ſuſceptum munus perenni ferè dierum multorum oratione animū præparauit; ſeque ab hominum colloquijs longè abiunxit, vt proximè ad Deum accederet; intentiuſquè audiret, quid in ſe loqueretur Dominus; identidem videlicet orans, & quidquid erat otij in ſacrorum lectione librorum, & pia cæleſtium rerū meditatione conſumens. Primùm Kalendis Nouembris hoſtiam diuinæ Maieſtati, mixtis gaudio lacrymis, immolauit; quo die Omnium Sanctorum anniuerſaria celebritas agitur; hoc ipſo Societatē paucis antè annis fuerat ingreſſus; apta ſanè in rem prȩſentem ſignificatione, vt ſui ipſius ſacrificium quod Deo quondā in religione obtulerat, Agno in altaris ſacrificio immolato reſpōderet. Solēnius illud redidit

&

& templi ornatus, & adstantium frequentia, & pietas facientis.

Noua Sacerdotij dignitate auctus nouum quendam spiritùs ardorem concepit, & in procuranda proximorum salute maiori deinceps contentione elaborare instituit. Itaque Spiritus Sancti Coloniam repetere decreuit, vt inchoatos in vicinis Brasilorum pagis labores strenuè persequeretur, impensiùsque, & pietati suæ, & alienæ saluti seruiret. Hic vnus, multorum Sacerdotum animos, ac vires gerens, omni cura institit rem Christianam pro virili promouere. Dominicis, ac festis diebus conciunculas Brasilica habebat linguà, Symboli capita pueris, & Christianæ doctrinæ rudibus explicabat; infantes, exterosque ad veram fidem accedentes baptismo abluebat; sponsos, ac sponsas ritè in matrimonio collocabat: inimicos ad pacem, discordes ad concordiam reducebat. Pręcipuè verò teneram puerorum ætatem ad religionem informare studebat, haud ignarus plurimum momenti esse in Epheborum institutione, & populorum conformationem ex illorum potissimũ disciplinà penderè. Nec verò

ani-

animorũ ſalute contentus, corporum etiam commodis quoad eius fieri poterat, conſulebat. Ille ægrotantibus medicamenta conquirebat; ille egentibus res neceſſarias ſuppeditabat; ille afflictos ſolabatur; ille viduarum, & pupillorum habebat curam, eorumque inopiam corrogatis à viris pijs, & opulentis eleemoſinis, ſubleuabat ille demùm omnium amantiſſimum parentem agebat: quo fiebat, vt charus, & acceptus ſummis æquè, ac infimis eſſet, cunctique illum vt Sanctum colerent; vt parentem amarent.

Biennium ferè, & eò ampliùs, ijs in pagis exegit Almeida, non minori aliorum bono, quàm propriæ cum accesſione virtutis: neque enim in tantis laboribus ſuum ipſe corpus indulgenter habuit. Solitus erat humi cubare; tenui, & malè condito victitare cibo: bis corpus ſingulis diebus flagellis cædere, illiuſque motus ferreo domare cilicio: triduum ſępè inedia traducere: nec raró totã hebdomadam, excepto die Dominico, quem ſumma religione colebat, ieiunare: purgataque in hunc modum mente, & carne cum vitijs affixa cruci, liberior orationis alis ſubuectus ad Supe-

ros

ros euolabat animus, totuſque in cælo, in maximis etiam occupationibus verſabatur. Ab ijs Braſilorum pagis maiorum iuſſu diſcedens, magnum ſui deſiderium cunctis, magnam ſuæ ſanctitatis opinionem reliquit.

CAPVT SEPTIMVM.

Fluuium Ianuarium repetit: indè ad oppidum S. Pauli, Carigicæ miſſionis cauſa, ſe confert.

ANnus decurrebat à Chriſto nato MDCVII. cùm Emanuel de Lima à Generali Societatis noſtræ Præpoſito deſignatus Prouinciæ Braſiliæ Viſitator, ad Bahiæ portum Vliſypponenſi naui ſecundis ventis applicuit. Huius imperio Almeida in Fluuium Ianuarium redijt Sacerdotio iam inſignitus, & litteris probè inſtructus; quibus ſe muniuit præſidijs ad obeundas, prædicandæ fidei cauſa, per Braſiliam miſſiones. Quinto ferè poſtquam eò peruenerat menſe, Sancti Pauli domum conceſſit, vt Societatis munia exerceret, ijſque oppidanos ad pietatis ſtudium inflamaret. Ex itinere à Viſitatore iuſſus inſpicere domicilium, quod habet Societas

cietas in oppido Sanctorum in ipso penè Brasilię extremo ad gradus quatuor suprà viginti Austrũ versùs condito, vt siquid in eo vel mutandum, vel corrigendum esset, id vicaria potestate pręstaret. Tantam in non grandi ætate de illius prudẽtia opinionem maiores conceperant. Sub finem vertentis anni S. Pauli domum sospes intrauit. Distat id Oppidum à sinu Ianuario leucas circiter quinquaginta; à Sanctorum verò portu quadraginta ferè milliaria mediterranea versùs recedit. Cõstituta ibi Societati sedes est anno salutis humanæ MDLIV. Emanuele Nobrega, viro doctrina pariter, & religione conspicuo, Brasiliæ Prouinciam moderante. Primum in nouo Collegij tẽplo sacrũ fecit Ioseph Anchieta die 25. Ianuarij B. Pauli Apostoli Conuersioni sacrà; hanc ob rem Oppido ipsi S. Pauli nomen impositũ.

Circumiecta regio optima cęli tẽperie, & soli vbertate præstat: fructiferis arboribus, maximè pinubus, abũdat, quę pineas nuces melopeponibus magnitudine pares ferunt. Syluæ densissimæ, ac frequentes folijs nunquam deciduis perpetuò vernant, peregrini generis feris, auibusque fæcun-

fæcunde. In ſciſſuris petrarum, arborumque hiantium truncis apes libero vagantes aere aluearia ſibi parant, ex quibus puriſſimi mellis riui paſſim defluunt, illoque victùs genere iter-facientes Braſili famem pellunt, & fractas inedia vires reficiunt. Ea eſt ſoli fæcunditas, vt triticum ex Luſitania non ita pridem allatum parcà admodùm, & rudi cultura ſatum, curatumque, ſupra quàm credi poſſit maiori quàm in Europa copia fundatur: ferunt menſuræ vnius fructum in centenas multiplicari. Accedit quòd generoſum vinum profert, aliaque frugum genera ex Hiſpania nuper aduecta.

Quà mare ſpectat regio, & incolæ *Carigij Pati* ſedes habent, in immenſæ altitudinis montes aſſurgit, acceſſu difficiles, aditu aſperos, & ſyluis imperuios: cumque ad altiſſima tandem cacumina ſummo cum labore, reptando manibus, pedibuſque perueneris; videas inde libero circumquaque oculorũ deiectu alios alijs montes, iuſtis quaſi graduum interuallis, impoſitos, altiſſimis arboribus coronatos: hinc prata varijs diſtincta floribus, herbiſque perpetuò virentibus con-

conueſtita : illinc fuſas camporum planities piſcoſis lacubus, & fluuijs maximis interciſas omnium denique confuſa rerum, ſed grata oculis varietate beatas. Auri, atque argenti ferax regio perhibetur eſſe: & ſæpè contingit vt è terræ viſceribus eruantur ſaxa aureis intercurrentibus venis ſplendentia, non obſcura latentium auri fodinarum indicia. Hæc tamen Luſitani metalla conflandi auri, argentiquè non benè periti, & ad alias minoris pretij merces comparandas intenti, artis beneficio, hominumq; induſtria egerere nõ curant, acſi parùm referret ad publicam vtilitatem auro atque argento Luſitaniam abundare.

Illud hic reperitur animal quod iuſto, ac idoneo Luſitani vocabulo *Pigritiam* appellant; vulpis magnitudine, colore cineraceo, capite rotundo: auriculis meritò caret, quòd tardum ad obediendum natura finxit: tanta quippè tarditate ſe mouet, vt non incendentis inſtar pergat, ſed torpentis, in eodem loco inertia membra explicet; & longiſſimo ſpatio temporis vix lati vnguis terminum excedat.

Aliæ atque alię regionem nationes inco-

incolunt communi cunctis vocabulo *Carigiorum* dictæ, ſed impoſitis ob varias cauſas cognominibus, a Luſitanis diſcretæ. Quà mari imminet præruptis vndique munita rupibus, ijs, ceu muris, Patos (ſic dicunt) natura cinxit, & a finitimis gentibus ſeparauit. His proximi inhabitant Aabacui, barbari, ac feri homines, non modò Chriſtiano, & Luſitano, ſed humano infeſti nomini; latrocinijs maximè dediti, nec minùs in crapulam, veneremque proiecti. Qua verò in mediterranea recedit regio, alia Carigiorum natio ſedes habet mitiori cæteris ingenio, captuque meliori. Aliæ alios terræ tractus gentes occupant ſaginandis ad eſcam hominibus vorandiſque illorum carnibus aſſuetæ, maximè vbi ſe vino factitio obruunt, & mentem ebrietate perdunt, quas enumerare ſuperuacaneum ducimus ſatis conſtat Petrum Corream, & Ioannem de Souſa Societatis IESV alumnos ſagittis olim a Carigijs fuiſſe confixos, eoque mortis genere a Barbaris illatæ, martyrij palmam adeptos eſſe, vt eiuſdem Societatis Scriptores fuſiùs narrant ad Annum M D LIV.

Iamdudùm Prouinciæ Brasilicæ Præsides de mittendis ad Carigios, qui remotiores à mari sedes habent, Euangelij præconibus agitabant; magnæ quippè conuersionis spem fecerat gentis indoles ad Christianam disciplinam capessendam idoneæ, & Lusitanis commercio, fœdereque coniunctæ; sed variæ, & graues inciderunt occupationes, quæ illorum cogitationes aliò auocarunt. Tandem cùm Emanuel de Limà Visitatoris officio per Brasiliam fungeretur, re maturè discussà, decretum, vt ad illam gentem Euangelij doctrinà imbuendam nonnulli è nostris Socij mitterentur. Duo preter cæteros, qui eam sibi prouinciam deposcebant, fuere delecti, Ioannes de Almeida, cuius vitam moresque describimus, & Alphonsus Gagus, magno rerum vsu vir, & Brasilicæ linguæ benè peritus.

Pedibus iter conficere solent nostri cùm huiuscemodi peregrinationes suscipiunt (nisi mari sit nauigandum) viatorio nixi baculo, tenui viatico instructi, & idoneo Brasilorum, qui in subiectis Societati pagis viuunt, numero comitati, quod Euangelij operarijs percommodum contingit;

nam Brasili cùm sint venandi, & piscandi apprimè periti, ijs maximè artibus per viam sibi, & Patribus victum quærunt, quem Syluæ, & fluuij passim obuij facilem prębent: & quod caput est, cùm itinere iam confecto ad suorum gentilium venere pagos, morum similitudine, communisque vsu sermonis, in illorum se animos, & voluntates insinuant; munusculis deindè alliciunt vt nostris, de quorum moribus, & doctrina præclara commemorant, in disciplinam se tradant, & ab illis de Christianæ legis mysterijs erudiri velint. Mitigata his artibus gentis ferocia, opportunè de religione sermonem inferunt Patres, & rationibus eorum sensibus accommodatis initio præcipua fidei capita exponunt; mox de ciuilis vitę commodis, de rerum omnium abundantia in maritimis, cultisque Lusitanorum oppidis multa subijciunt; in eaque suas transferre sedes idoneis suadent rationibus; quibus demùm efficitur, vt illi non parùm de innata barbarie deponant, deducantque ad maris oram colonias, vbi in pagos, & villulas distributi, nostrorum hominum curà, facilè Christianos discant

ritus

ritus, & induunt mores.

Hoc igitur consilio Ionnes, & Alphonsus itineri se commiserunt. Arduum id, & densis impeditum syluis erat, ferarum etiam gentium incursionibus obnoxium: ijs tamen difficultatibus Deo benè fauente superatis, ad destinatam sibi regionem peruenerunt: nec paululum quietis à multa contentione, & lassitudine corporibus dandum rati, annuntiandi confestim Euangelij initium fecerunt; & quidem non exiguo operæ fructu: nam ingens Ethnicorum numerus animis sitientibus ad sacrum fontem ex omni ætate sexuque venit: & quò altiùs in Neophytorum cordibus Christiana imprimeretur religio, quod eos docebant verbis, id ipsum confirmabant exemplis. Præcipuo gentis pago Christi iam legi subiecto, alios Ioannes cæpit regionis vicos percurrere; modestia, & comitate obligare sibi incolas, eaque ratione faciliùs ad veram religionem adducere: magnos infantium, puerorum greges baptismo abluere; non paucos ex ijs breui defunctos ad cœlum transmittere; ingentes vbique capere animorum fructus: nam vitæ

ſpecies modeſta, & religioſa non gratiam modò, ſed etiam admirationem conciliabat Euangelizanti: illique libenter ſe quiſque tradebat formandum, cuius perinde amabat, & ſuſpiciebat virtutem.

Tantis fidei incrementis inuidebat Satanas, tantamque à Dei famulis animarum prædam ſibi eripi non ferebat; ipſis igitur rerum initijs obuiam ire non diſtulit, & ſecundum Euangelij curſum morari ſuis, vt ſolet, artibus non omiſit. Aabacuos, de quibus ſuprà meminimus, non minùs acres Chriſtiani nominis hoſtes, quàm natura, moribusque immanes, impulit, vt ijs Braſilis, in quibus ad fidem adducendis noſtrorum deſudabat induſtria, repentè bellum inferrent, & ſubita incurſione illorum vicos, qui nullo ferè, aut perexiguo monimento ſepti, hoſtium furori patebant, armis inuaderent. Ingens confeſtim ab incolis clamor tollitur; cuncta fæminarum lamentis, & eiulatu complentur: alij inauia fugam arripiunt; alij conſilij inopes, incerti quid agant, hàc illàc errabundi diſcurrunt: multi

bar-

barbarorum aduentu interclusi à fuga, sagittis confixi mortem oppetunt. In summa illa omnium trepidatione stetit animo Ioannes inuicto, & omni prorsùs timore superior, acsi in amicos, & Socios incidisset: periculi tamen conscius, & Neophytorum salutis memor, alacer procedit in medium, & bono illos animo esse iubet, & certa spe victoriæ iniecta ad pugnam erigit, magnisque hortatur vocibus, vt fiducia in vno Deo collocata, impauidi ruant in hostem. Factum vt præceperat: ipse prælato manu Sacrosanctæ Crucis vexillo, in medios sese hostes intulit, fide, non ferro protectus; ijsque tantùm terroris iniecit, vt continuò dare terga coegerit, multis illorum in fuga cæsis, paucis è Carigijs desideratis.

Is tum summæ admirationis casus victoriam est consecutus. Aabacui Christianæ gentis odio innatam feritatem acuente, antequàm inirent prælium, nonnullos teneræ ætatis pueros, in quos fortè incurrerant, sagittis confoderant, & illorum cadauera per agros strata feris, auibusque voranda

reliquerant. Affecit ea miſerorum cædes graui dolore Ioannem, illa potiſſimùm ratione, quód ſacri baptiſmi expertes deceſſerant certæ damnationi obnoxij. Ergò, cæleſti haud dubiè inſtinctu motus, ſe dedit in preces, nec priùs ab illis deſtitit, quàm intellexit fore, vt omnes ad vitam, ſalutis æternæ obtinendæ cauſa, reuocarentur. Hac concepta fiducia, ſingulorum in brachia defunctorum corpora accipit, & ad ſe colligit arctiùs; mox pectori appreſſa infuſo fouet ſpiritu: mirum viſu, dictuque: omnes ad vitam mortui continuò redierunt; eatenùs tamen quoad ſacro abluti fonte, & candida innocentiæ veſte induti ad beatam vitam ex ipſo penè luſtralis vndæ regenerantis vtero peruolarunt. Hæc à pluribus, & idoneis teſtibus ſacramento adactis litteris prodiderunt Braſilicæ Prouinciæ Socij, de quorum fide dubitare nefas eſſet. Non alia res magis Ioannem apud Fideles, Ethnioſque reddidit ſanctitatis famà illuſtrem; effecitque, vt Carigij illius moti conſilijs patrias deſererent ſedes, & in proximam Luſitanorum Coloniam confeſtim iter arriperent.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

Redit cum Neophytis ad S. Paulum: nonnulla in itinere edit prodigia.

IGitur vbi Neophytis deliberatum nouas ad S. Paulum ſedes quærere, in quibus commodiùs viuere Luſitanorum tecti præſidio, & noſtrorum opera hominum vtiliùs excoli poſſent, ingens virorum, fęminarum, & puerorum turba, Ioanne duce, & authore, in viam ſe dederunt. Cœterùm quia per infeſta barbararum gentium incurſionibus loca tranſituri erant, ſeruata inter ſe militari more iuſti exercitus ſpecie, & inſtructo velut ad pugnam agmine, procedere opus fuit, nequà hoſtibus obnoxij forent. Confecto iam magna ex parte itinere ſyluis vt plurimùm denſiſſimis impedito, & altiſſimis montium iugis immenſo labore ſuperatis, ventum in campos floribus varijs, herbiſque odoriferis veſtitos, vndè facilis ad S. Paulum, & expedita via ducebat: ibi loci commoditate allectum ſacris operandi deſiderium vehemens Ioannem cepit. Ara igitur

raptim à Socijs excitata, ſolo circum circà floribus, ac frondibus, palmarumque ramis, ornatùs gratia, inſtrato, Miſſæ Sacrificium inchoauit: aderant omnes intentis in facientem oculis: ecce tibi ſacram in altum attollente hoſtiam, vt ab omnibus conſpici, & adorari poſſet, de repentè mouere ſe loco frondes, agitari tripudiantium more, flores, palmæque viſæ, & ſuſurrum quemdam edere iucundiſſimum, ceu geſtirent illa Deum ratione laudare, & Ioanni applaudere ſacrificanti. Omnium eò conuerſi oculi prodigio fidem fecerunt. Attonitos ſpectaculum circumſtantes tenuit: primùm inſolitæ rei aſpectu commoueri; mox lætari; demùm ſuperis gratias agere, quòd felici illo omine confirmati pergerent alacres reliquum viæ conficere, & benè de euentu ſperare diſcerent.

Erectis ibi pro tempore tugurijs paulùm ſubſtiterunt, tum vt fractas à longi & inſueti itineris labore vires reficerent; tum vt ferarum venationi, quibus vicini abundabant ſaltus, vacarent. Accidit interim importunè, vt iniecto de induſtria in proximam

ſyluam

ſyluam igne, quò feræ ſuis è latibulis in medium prodire coactæ, facilè in iacula venatorum, qui omnes ſyluarum aditus, exituſque præcluſerant, inciderent, præſens ſibi crearent, ſuiſque rebus periculum; nam cùm venatio feliciſſimè procederet, & magnus iam ferarum numerus confectus eſſet, flante vehementiùs vento, perlatus vltrà quàm vellent, ignis, totam latè ſyluam, tuguria etiam tumultuaria operà excitata, & arborum contecta ramis, fœdo vaſtauit incendio, & impedimenta corripuit, & conſumpſit: vnum ſuperfuit in medijs flammis Almeidæ breuiarium, quod hæ vixdum attigerant, cùm reſilierunt; & quæ ſe audaciùs obtectæ fumo eiecerant, attonitæ hæſerunt primùm, deindè refugerunt, ceu Numen ſentirent, & verſo in religionem auſu, coiere in Orbem, & coronæ inſtar circumfuderunt ſe ſe; & in vacuum, quem reliquerant, ſinum, medium receperunt: mox arcuato ductu molliter erectæ in altum, more Iridis, cinxere codicem: putares flammas innati aſcendendi appetitùs oblitas alieno impetu

cieri: nec illud erat moueri, sed gemi-
rè: nunc ire, aggredi: nunc redire,
ac cedere: rursùm conglobari, & den-
sari iterùm explicari, & solui: inter-
dum se fumo inuoluere, & condi; in-
terdum erumpere, ac lucere innoxiæ.
Ita diuinæ psalmodiæ codex alluden-
te magis, quàm lædente flama illæsus
permansit, & intactus; quod rari pro-
digij loco habitum est. Constat rem
totam à Socijs tum visam, & multo-
rum posteà testimonijs confirma-
tam.

Tribus in itinere mensibus iam
exactis, S. Paulum suis cum Neophy-
tis Ioannes peruènit, fractis adeò vi-
ribus, æstu confectus, & fame, vt vix
ab amicissimis agnosceretur: eam ta-
men in ore lætitiam, eam in oculis
alacritatem præferebat, vt omnibus
palam faceret, se labores, & ęrumnas
animarum causà perpessas in summis
habere delicijs. Cæterùm quia alie-
næ vtilitatis cura antiquissima illi
erat, egit protinus cum primoribus
Lusitanorum, vt commodas nouis
hospitibus sedes constituerent; agros
etiam ipsis assignarent, in quibus va-
ria frugum genera, mandiòcam præ-
sertim, ad victum sererent (genus id
est

est herbæ, portulacæ magnitudine, cuius radicem Brasili contundunt, contusam exprimunt; tum ad Solem exsiccant, molis deinde conterunt, & in farinam non ingrati saporis redigunt) eaque vitæ ratione contenti in fide pariter, ac sede persisterent, & strenuam Lusitanis operam, si fortè aduersùs hostes bellandum esset, amicorum more, præstarent. Plura quàm petebat, à Lusitanis obtinuit. Ergò dum Neophyti nouis ad S. Paulum fundandis Colonijs, & colendis insistunt agris, Almeida excolendis illorum animis diligentem cœpit nauare operam, pari iuxtà labore, ac prouentu.

CAPVT NONVM.

Quatuor simul pagorum curam gerit; & rem Christianam valdè promouet.

EX ijs quæ superiori capite narrauimus, satis constat Brasilos, qui nostrorum hominũ secuti consilia interiora deserunt regionis loca, in quibus olim ferarum ritu per montes syluasque sparsi habitabant, in paucos ad mare cogi pagos propter ve-

bes, cultaq; Lusitanorum oppida, quò faciliùs propria, sibiq; apta institutione a Socijs excolantur: & licet Curionū munus assumere sit ab instituto Societatis alienū; Brasiliæ tamen Episcępis, &, quod caput est, pijssimis Lusitaniȩ Regibus, qui pro suo egregio propagandȩ religionis studio, illud de Sūmi PP. cōsensu, munus Societatis hominibus demandarunt, morem gerere opus fuit, & pagorū curam sustinere, non minori obedientiæ laude, quā animarū lucro. Nam promulgare Euangelium, & conscribere in Christi militiam populos, nec deinceps excolere, perindè est atque vineam conserere, quam deindè patiare syluescere. Horū pagos quatuor in S. Pauli confinijs positos, nec ignobiles, nec infrequētes ad Christianam pietatem formandos Ioa. suscepit. Omnes identidē percursabat, pedibus sępè nudis, sic vt breui interuallo singulos in orbē reuiseret. Baptismo lustrabat infantes: pueris, ac rudibus fidei elemēta tradebat: ęgros, & afflictos leuamētis varijs recreabat: morientibus aderat: mortuos sepeliebat. Neq; verò animis solùm, sed etiā corporibus, quoties res, locusque posceret ferebat opem. Dominicis, &

festis

festis diebus rem diuinam semel, atq; iterum facere cogebatur, vt omnes missę sacrificio Neophyti interesse vllo sine incommodo possent; quòd ipse tam disiunctis inter se pagis adesse nequibat in tempore, ijs verò optimi parochi officijs assiduam dabat operam, adeò cibi & suimet oblitus, vt talibus eum ministerijs pasci crederes. Illud autem præ oculis semper habebat, vt vitæ innocentis exẽplo omnes ad virtutem accenderet, offenderet verò neminem: quo fiebat vt Neophyti illum, ceu hominem cęlo delapsum reuererentur; & ad suos venientem pagos prostratis humi corporibus venerabundi exciperent. Eam ipsam denique, quam olim ad Spiritus S. Coloniã agendi cum Neophytis rationem tenuit, nisi quòd adaucto ad S. Paulum pagorum numero, & incolarum, vberiorem exercendę in proximos charitatis, & diuinæ quærendæ gloriæ materiem nactus, totum se in illorum commoda liberius effundebat.

Quidquid verò temporis assiduis occupationibus eripere poterat, rerum cælestium meditationi dabat, tam in se collectus, & mente in vno defixa Deo, acsi in summa solitudine

viueret nullis hominum congressibus, negotijsque distentus. Ab hoc igitur fonte tantas hauriebat illius spiritus vires, vt nullis vnquam cederet laboribus; nullis periculis terreretur quò minùs in curanda commissarum sibi ouium salute strenuum se, & vigilantem exhiberet pastorem.

CAPVT DECIMVM.

Sinum Ianuarium reuersus Paticam aggreditur missionem.

MIllesimus sexcentesimus decimus septimus currebat annus, cùm Ioannes à suorum Neophytorum pagis, in quibus mentem, curasque defixerat, Maiorum imperio iussus discedere, Fluuio Ianuario se reddidit. Paucos hic menses moratus expeditionem Paticam agitare animo cœpit. Postulauerat paulò ante Saluator Correa de Sà Benauidius, clarissimi sanguinis Dynasta, & Ianuariæ Coloniæ Præfectus à Prouinciæ Præside, qui tum erat Petrus de Toleto, duos è Societate Presbyteros, qui Patorum gentem Euangelij prorsùs ignaram ad vnius Dei cognitio-

tionem adducerent, ratus Christiani Præfecti nomine se dignum non esse, nisi eos populos, quibus imperabat, in Christi redigeret ditionem. Prouincialis, & sua sponte iam incitatus, & tanti viri authoritate permotus, binos ad id Socios destinauit, Ioannem de Almeida, de quo scribimus, & Ioannem Fernandes, spectatæ virtutis virum, Almeida non minùs nomine similem, quàm animi magnitudine clarum. Erat plena laborum, ac ærumnarum prouincia, & certis vitæ periculis exposita, dubius verò missionis euentus: cęterum vtriusque Ioannis animus periculis, & laboribus maior erat; nec dubitabant vbi Dei cultus, & animorum causa ageretur, in omnia se vitæ discrimina conijcere: nihil enim poterat ærumnarum iuxtà, atque animarum sitientissimis viris optatius euenire; cum iamdiù laboriosam id genus aliquam ad infidelium terras expeditionem, & omnibus votis expeterent, & postulando sine fine perseuerarent. Et quidem Almeida per aliquot dies hominum cospectui se subduxit, vt familiariùs cum Deo ageret, & idonea sibi compararet arma quibus humani generis

neris

neris hostem debellaret, & innumeros ad Ecclesiæ castra Ethnicos compelleret.

Cæterùm Carigios, ad quos fide imbuendos duo Socij peregrinationem instituunt, ab alijs eiusdē nominis distinguamus (constat enim non vnam in Brasilia gentem hoc nomine appellari) *Patos* Lusitanorum more vocabimus, cuius imponendi causa nominis anseres fuerunt, quibus illorum abundat regio, & Lusitani, qui primi eamdem regionē explorarunt, maternà lingua *Patos* dicunt. Suas hi habent sedes in mōtibus Oceano mari proximis, centum ferè leucas Austrum versùs à sinu Ianuario semotis: facili, ac miti sunt ingenio, corporibus firmis, & procèris. Contracto non ita pridem cum Lusitanis commercio, ictoque inter vtramque gentem pacis fœdere, sanctè amicitiæ leges seruant. Colendis agris dant operam, quos tamen reliquæ per Brasiliam nationes perpetuo torpentes otio, & mactandis hostibus, vorandisque illorum carnibus assuetæ, neglecto prorsùs cultu, sinunt syluescere. Etsi arte sagittandi excellant, pacis tamen studio tenētur; nec vnquam, nisi

gra-

grauibus irritati, iniurijs aut damnis affecti, aduersùs hostes bella suscipiũt. Vnum, sed multis inuolutum erroribus colunt Deum, quem Tupam, hoc est, Tonantem appellant; eumq; malorum omnium authorem esse existimant. Tam sunt dediti veneficijs, vt ab ijs auelli, & ad Christianam religionem adduci, diuturno & operoso nostrorum labore vix possint. Hi mores gentis.

CAPVT VNDECIMVVM.

Ad S. Catharinæ Insulam primùm; mox ad Patos peruenit; ijsque annuntiat Euangelium.

MEnse igitur Febr. anni 1618. in Ianuario sinu, Fernandèz Socio, Canoam Ioannes conscendit. (Canoam vocãt indigenę genus lintrium, quod maximè ad sinus maris traijciẽdos paratum habent; eæ sunt excauatę pinus oblongę & angustæ, sed quæ leuissimo momẽto inuersæ effundant in mare vectores.) Littus legendo (alto quippè se committere illo nauiũ genere Brasili nõ audẽt) prospero vecti cursu ad Sanctorũ portum incolumes appulerũt; vbi corrigẽdis oppidanorum mori-

moribus, ijſque ad pietatem excitandis dierum aliquot traxere moram. Indè Auſtrum versùs nauigare pergentes, Martio exeunte menſe Sanctę Catharinæ Inſulam tenuerunt. Anguſto hæc freto à continenti dirimitur: quinquaginta ferè milliaria ambitu complectitur: mari eminet admodùm piſcoſo, & ingentis pretij vnionibus opulento. Incolæ ſimplici, & aperto ſunt ingenio ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam, bonoſque mores illi conformes induendos valdè idoneo: cæterùm fidei magiſtris deſtituti alta iacebant barbarie conſepulti.

Exſcenſione in terram factâ diligentem confeſtim promulgando Euangelio dare operam Socij inſtiterunt auidiores ſcilicet animarum, quàm cæteri vnionum: & magnum facerent illarum quæſtum ſi diutiùs inter Inſulanos morari liceret. Verùm dicta iam profectioni inſtabat dies, & ſecundus ad nauigandum ventus afflabat. Inchoatum igitur prædicationis laborem intermittere opus fuit, eumque in commodius tempus differre. Indè digreſſi modico maris traiectu ſuperato, continen-

tem

tem attigerunt, quam variæ Carigiorum Nationes inhabitant, dispersis per agros latè mapalibus, Nomadum more, sedem pabuli ratione mutantes. Has, quia nondum matura res erat, Almeida tenui quadam Euangelij cognitione præstrinxit magis, quàm informauit, & gentis ferociam Christiana mansuetudine deliniuit. Quo liquidò apparuit nullam tantam esse feritatem, quæ non possit vnius hominis vsu, & comitate mitescere. Ad portum demùm quem petebant *Boigpatibam* nomine, Deo benè iuuante peruenerunt. Hic magno incolarum plausu, & gratulatione excepti, id se facere confirmantes, quòd beatum ducerent illum diem, quò Societatis homines de Brasilica gente optimè meriti in eam regionem aduenirent, vt rectam ad cælum viam edocerent.

Paucis ad quietem corporũ diebus datis, cæpere Socij Christianæ fidei præceptionibus Barbaros erudire, permultos baptismo abluere: nullis laboribus parcere, vt errantes ouiculas à Satanæ faucibus eriperent, & ad Ecclesiæ caulas adducerent. Dumque totus in id Almeida maiori,

magis in singula momenta lue, Ioannes diuino, vt euentus docuit, spiritu afflatus, præcepit, vt omnes, qui illo morbi genere tenebanrur impliciciti, incisà venà sanguinem mitterent: factum vt imperauerat; moxque sanguine misso, omnibus est restituta salus. Quo diuinæ virtutis experimento venefici pudore suffusi latebras quæsierunt, eoque amoto obice res Christiana è sententia fluere, & vberior operarum culturæ fructus respondere, in finitimas quoque gentes prædicationis fama peruadere, ac multas excire studio videndi Ioannem, & rectam salutis viam, eo duce ingrediendi. Sed exeùnte iam præscripto à maioribus missionis tẽpore, & maturo in Sinum Ianuarium reditu, diutiùs inter Patos versari Euangelij præconibus non licebat. Itaque, compositis vtcumque rebus, & consilio profectionis Neophytis patefacto, incredibile dictu est, quàm grauem animis dolorem ceperint, quantum profuderint lacrymarum, quòd parentum loco Patres habebant; seque, ouium instar, horridas inter syluas manere luporum dentibus fraudibusque
expo-

expoſitas vehementer dolebant. Almeida tamen, & Fernandes Superiorum mandata Neophytorum dolori, ac lacrymis prætulerunt; eoſq; blandè ſolati, recipientes breui ſe iterùm affuturos, diſceſſum vt quamprimùm fieret, vrgebant. Illa demum lege abire permiſſi, vt ſeni Paticæ gentis legati cum ipſis in Fluuium Ianuarium ſimul irent, qui de muniendo noſtrorum ad eos reditu apud Vrbis Præfectum, & Societatis Prouincialem ſeriò agitarent: ab ijſque ſuppliciter orarent, vt ſuæ orbitati, ac ſolitudini conſultum irent. Martio igitur iam adulto menſe anni milleſimi ſexcenteſimi decimi noni, conſcenſa cum Braſilorum legatis naue, ſecundis admodum ventis vſi Fluuium Ianuarium, è cuius portu ſuperiori exierant anno, incolumes redierunt.

CAPVT DVODECIMVM.

Aliam ad Goitacazios miſſionem obit.

Confecta ad Patos expeditione, aliam ad Braſilos Goaitacazios (ſic vocant) Ioannes ſuſcepit; quam gentis ingenium ferox, & mixta cum

feri-

feritate barbaries, longè difficiliorem reddebat. Fuſam in longum tractum planitiem hi habitant modico à mari ſpatio recedentem, quam duo nobiles fluuij Paraiba, & Macae, ceu Tygris, & Euphrates Meſopotamiam, cingunt. Alij prætereà non ita clari nominis amnes multa riparum amænitate veſtiti varijs per campos meandris ſerpunt, donec in Oceanum ſe exonerent. Ab vno latere Regio Spiritùs Sancti Coloniam, ab altero Sinus Ianuarij Præfectorum attingit. Incolæ, non hominum more, ſed belluarum ritu viuunt. Plurimum herbis ſponte naſcentibus, piſcatuque veſcuntur radunt anteriorem capitis partem, reliquum prolixo capillitio tegunt, humeris, quò terribiles appareant hoſtibus, inundante. Nullos omninò colunt Deos, augurijs ad inſaniam dediti vt futura præſagiant; inteſtinis ſeſe atterunt, ijsque continentibus bellis, nec vnquam feſſa per inducias arma deponunt. Captos in prælijs hoſtes multorum dierum cura benè ſaginatos ſolemnibus mactant cæremonijs, & occiſorum carnes habent in delicijs. Perpetuis licet inter ſe incenſi odijs diſcordias alant, &

bella,

bella, si fas est dicere, plusquam ciuilia, gerant, si tamen externorum vis ingruat hostium, coniunctis derepentè inter se viribus, animisque in vnum collectis aduersùs illos omnes conspirant. Procedente die, anno redempti orbis M. DC. XXX. cuiusdam nauis Lusitanæ causà, quæ ad proximum Goaitacazijs littus vi tempestatis abrepta in syrtes impegit, laxatisque compagibus miserè perijt, finitimæ Brasilorum nationes Lusitanis amicitiæ fœdere coniunctę, id illorum arte & præstigijs factum racæ, sumptis in eos armis, vniuersos ad internecionem dèleuerunt. Hæc de ijs commemorasse Barbaris operæ pretium duxi, vt omnibus palàm fiat ad quas in altero orbe nationes Societatis homines, prædicandi Euangelij causà, expeditiones suscipiant; in quas ærumnas, & vitæ pericula se conijciant vt vnius Dei gloriæ, & animorum saluti consulant.

Porrò Goaitacazij cruenta per id tempus quo Ioannes ad illos iuit cum finitimis Lusitanis bella gerebant; neque hi gentis ferociam armis contundere, neque animos beneficijs ad pacem

pacem allicere poterant. Ergò Societatis Prouincialis è re Christiana & publica fore putauit, duos è nostris Sacerdotes virtute præstantes ad eos mittere, pacis & religionis tractandæ causà: quiquè raræ exemplo modestię ferinam possent domare barbariem: cui summa erat rerum omnium pro lege licentia: vsus enim quotidianus docet ad inserendam in barbaris etiam mentibus mansuetudinem & humanitatem, breuem ac compendiariam viam esse ijs maximè virtutibus fidei præcones excellere. Re Deo impense commendata, huiusmodi prouinciam imposuit Ioanni Lobato eximiæ probitatis viro, qui multis posteà clarus prodigijs in Sinu Ianuario fato concessit anno Christi M. DC. XXIX. & Ioanni Almeidæ, cuius prudentiam & paternam in Brasilos charitatem non semel expertus erat.

Exeunte Septembri mense, Anni M. DC. XIX. Caput frigidum petierunt; id est nobile promontorium, quòd à positione loci, & frigoris inclementia nomen traxit, à Ianuario Sinu in Orientem tendentibus

obiectum, & paucorum dierum nāuigatione disiunctum. Hìc se nostris comitem addidit Stephanus Gomez, Capitis eiusdem Præfectus, & Brasilicæ gentis valdè studiosus. Eo duo Ioannes aucti socio, cantis vecti vicina stringentes littora ad Bagrum vsque fluuium prospero sunt cursu delati, ibique in terram egressi, itinere satis Longo, & syluis obsito, non sine magno labore confecto, ad optatam regionem peruenerunt. Ab incolis maioribus quàm præseferret gentis barbaries, amoris significationibus sunt excepti, & ad suos admissi vicos, varijsque munusculis, regionis more, donati. Explorata gentis beneuolentia aggressi Patres Christianæ legis vulgare mysteria, & veri Dei cognitionem obcæcatis snperstitione mentibus ingerere; easque paulatim ab innata feritate ad humanitatem traducere. Addebat prędicationi pondus morum integritas, & modestia oculorum, index continentiæ, quæ in Sociorum facie emicabat, & Barbaros vitiorum quamquam cæno immersos, in sui admirationem rapiebat; & quemdam aperiebat aditum, vt radium Euange-
licæ

licæ veritatis admitterent. Igitur breui gens illa, qua nulla vſquam aut minùs culta, aut magis immanis ad eam diem fuerat, non modò mitis & facilis, ſed magna ex parte erudita fidei myſterijs cæpit eſſe. Tantum Chriſti diſciplina ad humanitatem valet. Cæterùm quia Braſilicæ genti mobile & verſatile ingenium eſt; & niſi aſſiduus ac præſens operarum accedat labor, qui illam in officio contineat, in priſtinos facilè ritus, moreſque reuoluitur; huius vitandi cauſà periculi, totis viribus inſtitere ſocij, vt quos baptiſmo nuper abluerant, ij data quamprimum commoditate, ſolum verterent, & in proxima Capiti frigido regione, quæ Luſitanicæ ditionis eſt, ſedes figerent, ibique in pagos & oppida, diſtributi, leges ſibi conderent, agros colerent, & inſtitutum vitæ Chriſtianæ curſum tenerent conſtantes, ſub idoneis Societatis noſtræ rectoribus & magiſtris.

Ad extremum de ineundo cum Luſitanis pacis fædere tractatum; quod nullo ferè negotio imbutis iam vera religione animis, ſancitum fuit. Compoſitis in hunc modum Sociorum induſtria rebus, quoniam præſtituta iam

à maioribus dies instabat, ab eâ regione, non sine multis incolarum lacrymis, discesserunt. Conscensa naui, Frigidi primum Capitis Promontorium feliciter præteruecti Sinum Ianuarium salui & incolumes tenuerunt, vbi lætis de constituta cum Barbaris pace, & propagata inter illos religione multiplex ciuitati vniuersæ gaudium attullerunt.

CAPVT XIII.

Redit ad Patos: biennium inter illos moratus ad S. Pauli collegium reuertitur.

ALias ex alijs missiones serere videbatur Ioannes, vt vberiorem periculorum & ærumnarum messem colligeret: famam siquidem, sitim, æstum, defatigationem, rerum omnium inopiam, ipsam denique mortem, vt animarum saluti consuleret, in summis habebat delicijs. Idcircò vixdum reuersus à Goaitacazijs, de repetenda ad Patos, quorum suprà mentionem fecimus, expeditione cogitauit, vt nostrorum opera hominum, & remedio destitutis, omni

omni cura & ſtudio ſubueniret. Viſa res ſuperioribus maturà conſultatione digna, propter multas & graues, quæ per id fortè tempus inciderunt, difficultates. Coacto ea de re domi concilio, alij in aliam abierunt ſententiam Patres; & tempus conſultando trahebant. Dirimendæ controuerſiæ cauſà, nonnulli ex ijs optimum factu iudicarunt, rem totam Patris Generalis arbitrio committere, qui tum erat Mutius Vitteleſchus, vir doctrina pariter & religione inſignis. Is, cauſà Romam delata, ritè examinatis in omnem partem rationibus, decreuit, vt duo è noſtris Sacerdotes prudentia, & pietate inſignes, & rebus Braſilicis benè verſati, Paticam repeterent miſſionem, ibique ſedem figerent, quò vtiliùs in poſterùm, & commodiùs in illa Domini vinea laborarent. Explorata Generalis volũtate, duo fuerunt ad eã expeditionem Socij deſignati; Antonius Araùſius, & Ioannes de Almeida: non ſine pia quadã æmulatione cæterorũ, qui illã ſuis humoris prouinciam imponi multis cum lacrymis poſtulabãt.

Præcipitãte iam anno 1622. ambo ſe cõmiſere mari, vel vitã ſi res poſceret,

pro Dei gloria, & adiumento proximorum parati fundere. Ad obuiam primùm Insulam *Bouicuacampam* nomine, quæ medio ferè spatio inter Sinum Ianuarium & sanctorum oppidum iacet, secundis ventis delati: ibi dum vectores curandis parumper corporibus immorantur, Ioannes in solitarium locum littori proximum, orandi causà, secessit; abstractoque à sensibus animo, totus Deo fruebatur. Magna diei parte ita meditando consumpta, instante iam profectionis tempore, sensere comites vnum illum desiderari. Diù igitur per totam Insulam diligentissimè perquisitus, nec vspiam inuentus, non leuem cunctis solicitudinem iniecit. Demum vbi sese ille à suauissimis cum Deo colloquijs expediuit, hominibus se reddidit, & in medio littore, socijs rei nouitate attonitis, repentè apparuit: quasi in ipsius esset potestate hominum aspectui se subducere, & reddere cùm vellet.

Paucis post diebus res longè illustrior, & mirabilior contigit. Sereno cælo & tranquillo nauigabant mari. Ecce tibi in medio ferè cursu visum vastæ molis monstrum magno hia-

tu

tu caput in altum attollere, & toto ad glutiendam canoam, qua vehèbantur, impetu ferri. Cuncti imminentis periculi metu terreri, expallescere, despondere animos ad mortem se comparare; vni Ioanni mens, animusque constitit: itaquè pauore solutus ad puppim sedens, defixa in superis mente, diurni pensum officij persoluebat. Animaduerso tàmen sociorum periculo, hilari vultu procedit in medium, & bono illos animo esse iubet, & timorem prorsùs omittere; statùmque manu ducta in modum Crucis, vbi se ad canoam monstrum satis applicuit, immaniter hianti benedictionem impertijt. Mirum visu, dictuque: sensit in cruce diuinæ virtutis pondus inesse: confestim conuerso in alteram partem cursu, ingentem è naribus reflans aquæ vim, modò saltibus se super vndas attollens; modò aquis se immergens, ludentis more, innocuum à vectorum oculis se longè proripuit: at illi Ioannis beneficio, tantò periculo erepti vicinum Barbaris portum, secunda tempestate, subierunt incolumes.

Excepere illi nostros ingenti læti-

tia & gratulatione, confluente è vicinis pagis multitudine omnium ordinum veſtes eorum, manus, pedes; impreſſa etiam ſolo veſtigia exoſculari certantium: inde quaſi humeris, triumphantium more, ſublati, & in apertam campi planitiem deducti; vbi ſeuocatis à reliqua turba natu maioribus, Patres exponunt, ſe in eam ſponte venire regionem, tot mari terraque exantlatis laboribus, vt ſedem in illa figant, tamdiuque moram trahant Euangelium prædicando, donec Creatorem mundi omnes agnoſcant, eiuſque legem obſeruent, quò paratam bonis in cœlo gloriam conſequãtur. Viſi ſnnt Angelos audire loquentes, dictaque auidis auribus excipere, & ſummo aſſenſu probare. Continuò extructa domus, in qua habitarent Patres, (tugurium veriùs appellares, cùm ex aggeſtis tumultuaria opera truncis, tranſuerſiſque lignis conſtaret) huic politiori opere Ædicula Sacra ad rem diuinam faciẽdam adiecta. Tum Socij in illorum conuerſionem totis viribus incumbere: diù, noctuque cum rudioribus agere, vt eos Chriſti myſteria edocerent: nullis laboribus parcere, vt errantes ouiculas

ad

ad vnius veri Dei cognitionem adducerent; nec minùs sermone, quam vitæ religiose exemplo legis, quam prædicabant, innocentiam & sanctitatem ostendere, quæ tantò salubrior & efficacior prædicatio esse solet ad lucrandos Ecclesiæ Ethnicos, quanto pulchrior est forma pietatis rebus, quàm verbis, expressa.

Cæterùm laboriosi magis, quàm vtiles & fructuosi nostrorum conatus erant: tum quia Euangelij cursum veneficorum, qui multũ apud illam gentẽ authoritate valent, morabatur improbitas: tũ quia Antonius Ioãnis socius, & missionis præses, aliam ab illo agẽdi cum Barbaris rationem inierat: quippè qui cùm esset sibi ipsi asper & infensus, quã apud se formauerat virtutis ideam, ad eam conformare Neophytos vellet, cũ ijs seueriùs & vehementiùs, quàm teneræ illę mentes ferrè posset, alieno tẽpore agebat; eo euẽtu vt abalienatis à Christiana religione animis, indigenę tãtę cõparãdę virtutis spe deiecti, ad pristinos errores, barbariẽq; redirẽt. Ioãnes cõtrà suaptè natura mitis & humanus, haud ignarus nimia seueritate ingenia exasperari, & à suscipiẽda Christi fide auerti:

Xauerij prætereà Indiarum Apostoli memor consilij. Non alia re magis ad Christum conuerti Ethnicos in suscepta iam religione contineri, quàm clementia & comitate: his maximè virtutibus ad conciliandos Patorum animos vtendum esse censebat; & gradatim cum eisdem procedendum, donec tractu temporis haustam à maioribus feritatem deponerent, & ad Christianam viuendi rationem mores accomodarent. Cùm suspecta valdè earum sint incrementa rerum, quæ subitos habent profectus; & citò ruant quæ breui crescunt. Neque ab hominibus in America paulòantè ferarum ritu viuentibus, atque in alta natis barbarie, tantam conuersionis initio vitæ innocentiam exigendam, ac si in media Europæ luce nati, educatique fuissent.

Antonius nihilominùs in sua persistebat sententia, & Ioannis consilia improbabat, quasi Barbaris conniueret, & nomen indulgentia sanctitati Christianæ religionis officeret. Quo satis constitit, præstanti sæpè virtute viros, & animorum contentione concordes, interse iudicijs, ac sententijs

tentijs ex ingenio, ac indole diffidere.

In his rerum angustijs Almeida rectè se facturum putauit, si rem totam Patri Prouinciali, qui tum erat Dominicus Coëllius, per litteras significaret, & illius exploraret sententiam, vt quidquid is sibi faciendum præscriberet, sine cunctatione perficeret. His acceptis litteris Prouincialis rescripsit, vt Ioannes data quamprimùm commodà nauigandi facultate, nauem conscenderet, & Sancti Pauli domum repeteret. Antonium verò iustis de causis diutiùs inter Patos morari iussit Ethnicis conuertendis, Neophytisque pro virili parte iuuādis; seriò tamen admonitum, vt mitiùs in posterùm & benigniùs cum illis ageret, quò maiores caperet animorum fructus. Vtrique autem idoneos itineris, & stationis socios assignauit.

Biennium, & eo ampliùs, in illa regione consumpsit Almeida: & licet ex macro & sterili illo solo parem suis laboribus fructum non collegerit, permultos tamen ex omni sexu, atque ætate mortales, qui grauibus affecti morbis morti iam erant pro-

ximi, Christianis sacris, prout ferebant temporum angustiæ, vtcumque instructos salutari fonte lauit, & ad cælum, vti fas est credere, breui defunctos transmisit. Idem pietatis officium peregit erga pueros & infantes, quos immatura mors ad sempiternum raptura foret interitum, nisi baptismo lustrati æternum sibi vitæ aditum aperuissent, quorum ingentem fuisse numerum comperimus: horumque salutem suorum illa in expeditione laborum pretium æstimauit, ex quibus splendidissimam sibi patientiæ coronam in cælo contexuit. Rebus igitur, quoad eius fieri potuit, compositis, profectionem in Lusitanorum coloniam adornauit. Conscensa nauicula, secundis admodùm ventis vsus, ad Sanctorum portum celerrima paucorum dierum nauigatione peruenit: cuius aduentus, quò diutiùs longiùsque abfuerat, eò maius vniuersæ coloniæ gaudium attulit.

Plures annuntiandi Euangelij causà in Brasiliæ mediterranea Ioannes fecit excursiones, quarum certam & accuratam cognitionem per lon-

longiſſima regionum interualla aſſequi non potui Romæ, in qua à multis iam annis dego: ab ijs proinde deſcribendis abſtinere volui: quoniam mihi eſt animus certa tantùm & explorata, non dubia, aut incerta litteris prodere.






LIBER SECVNDVS

CAPVT PRIMVM.

In Domo S. Pauli confessarium agit: multa scitu digna edit prodigia.



Ractis iam ab assiduis laboribus, & à longa ætate viribus, in S. Pauli Domum, Superiorum mandato, Ioannes concessit; vbi nouo animi impetu capto, ad excolendam Domini vineam, quæ syluescere cum vitijs cæperat, totum se contulit; quanto cum rei Christianæ commodo, ab emendatione morum, a malè parti lucri restitutione, à frequenti Sacramentorum vsu, à pace grauissimis allata discordijs, satis apparuit. Porrò etsi altioris ille doctrinæ, quæ Theologiæ scholasticæ nomine continetur, præsidijs munitus non esset, præclaris tamē rectæ vitę exemplis

plis, & pijs de rebus diuinis ſermoni-bus, quos paſſim cum Braſilis, & Lu-ſitanis habebat, omnes ad pietatis of-ficia incitabat; nimirùm rapit animos virtus eximia, tumque maximè cùm per exempla illuſtria cæleſtem ſuam pulchritudinem prodit. Acceſſere complura prodigia naturæ viribus maiora, illius ope, precibuſque patra-ta, quæ omnium mentes hominis ve-neratione iam captas, pronas ad ſe-ctanda Chriſti veſtigia reddiderunt. Ire per ſingula opera pretium erit, ne ſi ex ijs quædam in lucem demus; quædam ſilentij tenebris inuolua-mus, communi rempublicam vtilita-te fraudemus, & tanti viri gloriæ de-trahamus.

Puella quædam cognomine *Grima-neſa* videndi facultatem amiſerat; in grauem etiam morbum inciderat: multos iam annos in perpetua nocte mæſtiſſimam tolerabat vitam: voca-tus Ioannes, vbi decumbentis confeſ-ſionem excepit, & manum capiti im-poſuit, preces quaſdam recitando, te-nebris ægra repentè diſcuſſis, opta-tam cum ſanitate oculorum lucẽ rece-pit, integriſq; è lecto viribus ſurgens, domeſticis cępit vacare miniſterijs.

Tranſ-

Tranſuerſus in vtero cuiuſdam fæminæ fætus hærebat, neque maturo iam tempore in lucem edi, neque brachiolum, quod extulerat, contrahere poterat; interim fæmina acerbis cruciabatur doloribus, & in aperto vitæ diſcrimine verſabatur. Ioannes rei conſcius eò accurrit, vt periclitantis è partu confeſſionem audiret: peracta confeſſione, brachiùm cruce ſignauit, eoque adhibito remedio tam facilem illi partum præſtitit, vt protinùs innoxia fætum effuderit.

Blaſius Mendez graui, & periculoſo iamdudum morbo laborabat: huic Ioannes diuino illuſtratus lumine aliquando prædixit, illum præſenti quiquam ægritudine liberandum, cæterùm inſequenti anno grauiori correptum iri, ex qua vltimam obiret diem. Prædictioni fidem fecit euentus; æger breui conualuit; ſub finem tamen ſequentis anni iterùm decubuit, & deceſſit.

Sebaſtianus Gillius brachij alterius patiebatur dolores, quod propterea alba obuolutum faſcia de collo ſuſpenſum geſtabat. Semel contigit, vt ſe offerret viæ comitem Ioanni rei Chriſtianæ cauſa, vicinos Braſilo-

rum

rum pagos periurrere cogitanti, qui vt hominis vrbanitati se gratum ostenderet, & officium rependeret beneficio, manu illius brachium leuiter tetigit, eoque tactu dolores sedauit.

Pergebat aliquandò in villam à S. Pauli oppido parùm distantem, vt cuidam mancipio grauiter ægrotanti, & confiteri volenti aures daret: itinere ferè toto importunus imber, quòd pluuium tempus esset ipsius vexauit Socium; isque totus pluuia madidus ad infirmi casam peruènit: sicco prorsùs, & intacto Ioanne a cuius, vel extremo villo vestis imber abstinuit.

Vitulus natus erat tibijs in arcum recuruatis: non ijs insistere; non loco mouere se poterat: opus erat vt bubulcus bestiæ perindè, ac nutrix infantis, curam haberet. Igitur tantę redimendæ causà molestiæ vitulum accipit in brachia, & Ioannem conuenit, multisque ab illo precibus contendit, vt rectas vitulo suo tibias, pedesque restituat. Ille rustici fiducia, & simplicitate captus, re priùs Deo commendata, imperauit adstanti, vt vitulum suis vti pedibus sineret, & aperto cãpo

vaga-

vagari: res mira: vitulus explicatis de repentè tibijs, pedibusque iusto loco restitutis integer, & sanus extitit: mox è bubulci brachijs saltu desiliens ludere, currere, & toto lasciuire campo cæpit, cunctis, qui aderant, rei nouitate attonitis.

Vigente ad multos dies solis æstu, soloque nullis è cælo effusis imbribus arescente, languebant faseoli, quos in suo seuerat horto Maria Pedrosa, fœmina Lusitana: ad Ioannem supplex confugit: & suos illi faseolos valdè commendat: is lustrali aqua hortum adspergit, eique, ac si rationis compos esset, iubet pro imperio, vt Mariam voti sui compotem faciat. Triduo exacto, hortus imperantis dicto, & Mariæ votis abundè respondit: tantamque illius generis leguminum fudit copiam, vt fidem penè excederet.

Excurrerat aliquandò ad confessionem ægrotantis in rusticana villa mancipij, affecta quamquam tum esset valetudine: optimum quippè ducebat sibi deesse, ne deesset ægrotis: peracta confessione, villæ dominus officij sui esse duxit rete pensile, baiulis mancipijs, quo domum reueheretur,

tur, illi offerre, qui commodissimus habetur per Brasiliam iter agendi modus. Negauit Ioannes se corpore vtcumque firmo, eo retis genere indigere; multaque in hanc sententiam dixit. Cœterùm importunis demùm precibus cedens se in rete composuit. Parum à loco processerat, cùm baiulis minimè sentientibus, à reti auolauit, & ad S. Paulũ citissimè præcucurrit; eò cum baiuli post aliquot peruenissent horas, ad Collegij ostium illorum præstolantem aduentum Ioannem viderunt, modestè subridentem; quasi admissæ piè fraudis conscius deceptos vellet admonere de subtracto onere, & inani sarcinæ iactatione: baiulis sibi opus non esse: illorum proindè vsuram, pro arbitratu, vel admittere, vel reijcere.

Vir quidam religiosus oppidi quod *Sanctorum* dicitur de atroci patrando facinore secum, nemine conscio agitabat: quód id flagitij genus ne subolere cuiquam, vel maximè fido debuerat propter atrocitatem. Sed non tulit tacitum Deus, qui Ioanni longè apud S. Palum habitanti reuelauit: quem inde miro quodam modo oblatum in cubiculum religiosi ho-

ſi hominis nihil minùs cogitantis coram per ſpeciem exhibuit: à quo ſeuerè reprehenſus deſtitit a propoſito, & ad Deum ritè, ac ex animo conuerſus, veniam ab eo cum lacrymis impetrauit. Re ex ſententia confecta, Ioannes in ſuum ſe oppidum, cubiculumque recepit.

CAPVT SECVNDVM.

Illuſtria quædam in eodem oppido vaticinia.

PRopria Ioannis fuit perennis quędam rerum futurarum cognitio diuinitùs comparata; quæ ita per omnes illius vitæ vagatur actus, vt tota perpetuis vaticinijs contexta eſſe videatur. Quò res ſint lectoribus notiores, ſingulas ſingulis Collegijs, in quibus contigerunt, cum alijs tamen mixtas prodigijs, iuſto ordine aſſignabimus: A S. Pauli domicilio, quod ſenio iam grauis, primùm incoluit, initium ducemus.

Eliſabetha Nunes Moreira, parùm æquo ferebat animo ancil-

læ cuiuſdam morbum & grauem, & diuturnum: illam Ioannes inuiſit, & benignè monuit, vt ſuam ad Dei voluntatem omninò componeret: a Deo quippè decretum eſſe, vt quotquot tum erant in eius domo familiares breui obirent. Vaticinatio verior fuit, quàm lætior: vix pauci decurrerant dies, cùm omnes ſunt mortui.

Oneraria Caſtellana, ex Hiſpania in Occidentis Solis Indiam ſoluerat; ſed fæde tempeſtate iactata, diffracto malo, laceriſque armamentis, Sanctorum in Braſilia portum ægrè tenuit. Vectores maris ſæuitiem, nauſeamque pertæſi, relicta eo in portu naui, terreſtri ſe contulere itinere ad S. Paulum, duodecim ferè leucas, vti in loco diximus, mediterranea versùs, ab oppido diſiunctum: ibique ingenti pecuniæ ſumma propoſita, peritum aliquem viæ ducem quærebant, qui illos per inuias quaſdam ſolitudines ad Buenos Aires, nobile ad Argenteum Fluuium, Hiſpanæ gentis Emporium, deduceret: ſed quia latè in indomiti, immaneſq; colebant Barbari, res erat plena diſcriminis,

quod

quod adire horrebant omnes : vnus inuentus eſt Luſitanus, magni vir animi, qui ſe itineris ducem ſuis cum mancipijs Hiſpanis obtulit. Antequàm in viam ſe daret, Ioannis ſe precibus cõmendauit. Is hominem à ſuſcepto conſilio multis rationibus auertere fruſtrà conatus, palàm confirmauit: pertimeſcere ſe valde, ne quid illi grauis in itinere accideret incommodi; neuè ab illius Socijs diuina Maieſtas ſecratioris alicuius delicti pœnas expeteret. Nec vanus, ſed religionis plenus is metus fuit. Eius negligens Luſitanus neceſſarijs rebus inſtructus cum Socijs iter capeſſijt. Poſt aliquot dies ventum in montes, vnde nota fiebant viarum diuortia : inde Hiſpani rectam ad Buenos Aires viam arripuerunt: Luſitanus ſuis cum mancipijs Sanctum Paulum versùs redijt. Vix mouerat loco, cùm fœdum quoddam morbi genus eum, Socioſque inuaſit; & peſtilentem vim morbi ægritudo animorum, omniumque rerum inopia vaſta illa in ſolitudine augebat. Iacebant miſeri ſuis ad arbores ſuſpenſi retibus, Braſiliæ more, macie deformes, mortuis, quàm viuis propiores, circumfrementibus diù

diù, noctuque feris, quæ prædæ suspensis inuolutæ retibus inhiare videbantur. In his rerum angustijs subijt animum Lusitani sera pęnitentia facti, & certa Ioannis prædictio: illius cæpit inuocare nomen, & auxiliū implorare. Res dictu mirabilis: sensit is leucas ferè ducētas absens miseri preces; ac repentè humana maior specie, media illa in solitudine oranti apparuit: secumque detulit vas ingens purissimo melle plenum, Brasilicæ etiam farinæ, maceratęque ad fumum bubulæ quantum fame laborantibus ad multos dies satis esset: mox Lusitanum proprio compellat nomine, blandisque solatur verbis; ac mærore torpentem excitat, iubetque, vt sumpto cum Socijs cibo, Sanctum Paulum confestim repetat: eòque venturum incolumem certò denuntiat. Quibus dictis, videri desijt. Ergò Lusitanus cælesti fiducia plenus, inter Socios partitur cibum; illoque sumpto, sensere omnes illicò sibi vires restitui, & nouo quodam animos vigore roborari. Recreati, ac refecti dapibus itineri se commiserunt: ac diuina regente clementia, multis & grauibus defuncti periculis, ad oppidum Sancti Pau-

li incolumes peruenerunt. Necdum finis prodigiorum. Lusitanus antequàm domum se reciperet, & vxorem cum filijs prægaudio gestientibus, quæ sibi occurrerat in platea, salutaret; officij sui esse duxit ad S. Michaelis pagum vicinum diuertere, in quo tum Ioannes Curionis officio fungebatur. Eò cùm peruenisset, ad illius se abiecit pedes; nec finem fecit agendi grates: donec ille manu alleuatum, Christo Dei filio, & humanæ salutis vindici gratiam habere, domumque redire iussit, vt vxorem, & filiolos, quos in platea oppidi obuiam sibi factos mæstos, & insalutatos reliquerat, sui aspectu, alloquioque soletur. Sic Lusitanus redditus suis; & & Ioannes mirābilis omnibus visus est. Quanta hic, & quàm illustria insint, & vaticinia, & prodigia, non est mecum, qui Scriptorem ago, expendere: referre officij mei est. Erunt qui vel legendo pònderent, vel dicendo amplificent.

Nonnulli ex oppidānis iniquo valde consilio decreuerant, vicinos Brasilorum pagos inuadere, & incolas in seruitutem abducere: nec vlli mortalium id detexerant: Ioannes tamen

rem

rem odoratus, consilij authores monere instituit, orare etiam, & obtestari, ne fæderatis pagis bellum inferrent, ne publicæ pacis iura violarent; ne Lusitanæ gentis nomini, illato per iniuriam bello, turpem dedecoris notam inurerent: sed nihil apud illos tanti viri preces, & consilia valuerùnt. Igitur properantibus ad bellum *Vereri se admodum*, dixit, *ne meritas ab illis diuinum Numen pænas expeteret*. Atque vti dixit, prorsùs euenit. Brasili quippè vbi iniquo se bello peti senserunt, coniunctis interse viribus, & sumptis confestim armis, Lusitauis occurrunt; multos sagittis configunt; non paucos interimunt: reliquos, iniecto, vti apparebat, diuinitùs pauore animis, in fugã verunt: nonnulli densa vicinorum nemorũ vmbra tecti mortem euadunt. Interfuit pręlio Dominicus Maciel, vir alioqui pius, & honestus, de quo fama percrebuit a Barbaris fuisse occisum: idcircò Maria Aluarenga illius coniux tã tristi perculsa nuntio vitã in lacrymis, & dolore trahebat: eã inuisit Almeida, iussitq; boni ac lęto animo esse: Dominicũ .n. eius coniugẽ ipso Natalis Christi die domũ ręditurũ incolumem. Quæ res per

vicinos Brasilorum vicos latè vulgata suspensos omnium expectatione tenebat. Ecce tibi ea ipsa quam Almeida designauerat die, Dominicus domum redit, suosque incridibili afficit gaudio: eoque plus admirationis res habuit, quòd locus vbi pugnatum fuerat, multa passuum millia aberat à Sancto Paulo.

Hoc ipso in Oppido sæua admodum tempestas aliquandò contrà Societatem exorta est, quæ nostrorum patientiam hominum valdè exercuit, & illorum ergà Brasilos incolas charitatèm mirificè probauit. Oppidani coaceruandis per auaritiã pecunijs intenti, iniqua exercebant lucra, perque iniuriam parta vi retinebant: & quod deterius erat nullum delictorum genus indigenas non iustum putabant: eos dolis circunuẽtos excipere; iniusta detinere seruitute; modis omnibus vexare, quinetiam interdum impedimento esse ne fierent Christiani ne potestate illos diuexandi, eorumque vtendi operà in Saccararijs officinis priuarentur: quo fiebat vt Brasili Europæos homines accerrimo haberent odio; & religionem Christianam veluti talium magistram sce-

lerum

ſerum, hinc quaſi ex certa nota æſtimantes, vltrò damnarent. Ergò Socij, ne ſuo Patrum, & Curionum deeſſent officio, iniquis oppidanorum conatibus ſe opponere, auaritiem reprehendere; diuini Numinis iram intentare; omnia moliri vt Braſilorum conuerſioni, & religionis bono conſulerent. Illi contrà, noſtrorum reprehenſiones ægrè ferre; flagrare in eos ira: odio furere: exilium minitari; eò procedente die res deuenit, vt cùm Socij a tuenda incolarum libertate, oppidani ab opprimenda non deſiſtereni, ac veluti ex æquo religio cum impietate certaret, vicerit tandem, vt ſæpiùs contingit, virtutem vitium, & pietatem improbitās. Itaque noſtris vis facta: omnes à ſuis ſedibus pulſi, aliòque migrare coacti, non minori oppidanorum infamia, quàm exulum gloria. Affecit huiuſmodi caſus graui dolore Ioannem ea tempeſtate in alio morantem oppido tum propter enormem iniuriam Societati illatam, tum propter indignum facimus a Luſitanis admiſſum. Cæterùm quia in eo exilio fidei magis cauſa quàm Societatis periclitabatur, tandiù inſtitit rem Deo enixè

commendare, donec nostrorum ad suas sedes reditum precibus impetrauit. Itaque die quodam cùm magno animi ardore orasset, voti se compotem factum sensit, prædixitque, multis simul adstantibus, redituram ad Sancti Pauli oppidum Societatem antequam ipse vltimam obiret diem. Vera dixisse probauit euentus; sublatis quippè tempore procedente discordijs, compositisque communi vtruisque partis consensu rebus, Socij paucis ante Ioannis obitum mensibus, suo sunt Collegio restituti, maiori cum oppidanorum gaudio, quàm fuerant cum ignominia eiecti; vt publicum decus, & gratulatio, publicum dedecus, & infamiam compensaret.

(.)

CA-

CAPVT TERTIVM.

Alia in Sanctorum oppido edita à Ioanne prodigia recensentur.

ANnos ferè quatuor in Sanctorum omnium Colonia Ioannes consumpsit, non sine ingenti Lusitanorum bono, & Brasilorum: neque intrà vnius oppidi, licet ampli, & opulenti fines Apostolici viri charitas se potuit continere, sed latè per vicinos vagata pagos, vniuersorum tum animi, tum corporis commodis seruire cæpit. In primis omnium confessione constat repressam Almeidæ consuetudine, & sermonibus illo in oppido peccandi licentiam, extincta multorum odia, iniquas mercatorum negotiationes sublatas; inductum frequentem Sacramentorum vsum; & morem audiendi profestis etiam diebus sacrum, aliaque & pietatis in Deum, & in proximos charitatis officia excercendi. Ita paucis à Ioannis aduentu mensibus Oppidanorum mores sunt immutati, vt alij prorsùs, atque, apparerent: & tum anteà demùm iustum oppido *Sanctorum* no-

men conueniret. Ciuium præsertim animos ad Dei amorem accendebat concepta iampridem de illius sanctitate opinio, maximum in persuadendo momentum; innumeris illustrata prodigijs: nonnulla ex ijs seligere relatu digniora, eaque litteris tradere, instituti mei esse duco.

Iuerant piscatum initio mensis Iulij simul cum Lusitanis Brasili in quemdam maris sinum paucis ab oppido leucis disiunctum. Comitem se discedentibus addidit Almeida, vt dum capiendis illi piscibus operam darent, ipse, Apostolorum more, animarum piscatorem ageret: ea tamen a nostris lege discessit, vt antè festum Beati Ignatij Societatis nostræ parentis, quod pridiè Kalendas Augusti celebrari solet, in Collegium prorsùs rediret. Solidum ferè mensem Socij piscando consumpserant; piscatio ex voto successerat, & Almeida egregiè munus suum obierat. Instabat iam Ignatij peruigilium, vrgebatque Dei Seruus discessum Cæterùm coorta repente tempestas profectionis consilium disiecit: & ea erat loci natura, situsque, vt nonnisi mari illuc adire, indeque redire liceret. His temporum

porum, & loci angustijs interclusus Almeida animum non despondit, sed fretus Deo, periculisque superior sæuienti magis, ac magis in singula momenta pelago minimè cedendum ratus, exigua admodùm canoa mari se committere decreuit, vt Superiorum mandatis satisfaceret. Tum Socij Brasili, & Lusitani illiùs maximè amore ducti, & imminentis periculi metu perterriti, ad eum coire, obsistere, & orare, ne se insanis fluctibus velit obijcere, & cæco obedientiæ impetu ad mortem ferri: maiorum præcepta rationis arbitrio temperandam esse, non præcipiti consilio exequenda: remittendum breui pelagi furorem, & procellam finem facturam. Talia inculcantibus Socijs neminem minùs tangebant obiecta pericula, quàm ipsum qui erat aditurus. Illis igitur valere iussis, lætus & alacer canoam conscendit: indeque conuersis in irata freta luminibus, & elata in altum dextera decumanis pelagi fluctibus benedixit: res dictu mirabilis: de repente mare detumuit; venti posuere, & tempestate sedata, tenebrisque abactis serenitas cum luce redijt: secunda palò post adspirans aura na-

tiem ſub ipſum D. Ignatij peruigilium ad Sanctorum portum celeri curſu prouexit.

Nobili puellæ, nomine Marcellinæ de Siqueira tetri vis morbi loquendi facultatem abſtulerat; os etiam fœdum in modum diſtorſerat, & hianti ſimile reddiderat. Ioannẽ adiere illius parentes ſuppliciter obſecrantes, vt ad ipſorum domum accedere dignaretur. Eò cùm veniſſet, decumbentis confeſſionem, vt potuit audiuit; animi ſalute procurata, corpori etiam ſanitatem fuſis ad Deum precibus impetrauit.

Inuiſit aliquandò Michaelém Andradium graui iamdudùm, ac periculoſo morbo laborãtem: occluſę erant, de medicorum conſilio feneſtræ cubiculi in quo iacebat, ne quid noxiæ aura admitteret: vix Almeida id fuit ingreſſus, cùm repentè cæleſti quadam circumfuſus luce, Solis inſtar, apparuit, locumque perobſcurum emiſſis à facie radijs illuſtrauit: illo indè exeunte, lux etiam pariter diſceſſit. Paucis poſt diebus Andradius conualuit, viſumque à ſe Ioannem clariſſima nitentem luce, & facie mirum in modum radiante affirmauit.

Vehe-

Vehebatur aliquandò naui cum nonnullis Brasilis, & Iacobo Carrilio Lusitano. Littus propemodùm radebant, tranquillo mari, sereno cælo, leni à puppi aura spirante: longè prouectos ad commodissimum maris sinum, quem valles ambiebant multa nemorum amænitate vestitæ, cepit desiderium vehemens loci commoditate fruendi, seque à maris nausea paululùm recreandi. Exscensione igitur in terram factà, & aliquot horarum quiete capta, Carrilius paucis comitatus Brasilis in proximam littori syluam, quæ gallinis syluestribus abundare ferebatur, venatum ire decreuit. Risit Almeida cùm Socios ad venationem accinctos, & magnam gallinarum copiam spe iam deuorantes animaduertit: eosque inanes ad littus redituros esse prædixit. Nec dicto fides absuit. Die ferè toto in venatione consumpto, ne vna quidem gallina capta domum redierunt. Postero die, Ioannes Carrilium monet, & Socios, vt arma capiant; tempus etiam, & certum locum in quo venentur, intento in eamdem syluam digito, designat: eosque lætos ire iubet, & fiducia plenos. Factum vt præce-

perat, ac intrà aliquot horarum ſpātium tantam gallinarum cepere copiam, vt ijs ad littus portandis vix vniuerſi venatores ſufficerent.

Idem Carrilius plures Ioannis Epiſtolas pietate monitiſque cæleſtibus plenas in vnum faſciculum collegerat, quas pretioſi loco theſauri domi aſſeruabat, noctuque cùm ibat cubitum capiti ſupponere conſueuerat, vt illarum tectus præſidio ſecurus dormiret. Contigit nocte quadam, vt excitato fortè domi incendio, cubiculum, in quod ormiebat cum tota ſuppellectili conflagraret. Vnū illum faſciculum; quod prodigio, miraculoque non caruit; reliqua incenſa domo, flamma non attigit.

Emanuel Pirez Eſquatcia, Nauarchus Luſitanus, è Sanctorum portu ſoluere naue Braſilicis onuſta mercibus cupiebat: ſed quia importuna tempeſtas erat, longiorem, quàm vellet, moram trahebat in portu, non leui iactura mercium. Ioannes miſeri precibus ſolicitatus ad maris littus ſe contulit: ibique furenti ſubinde pelago, & inſanos fluctus attollenti, frænum benedictione iniecit: ſenſit Oceanus potentis virtutem crucis: extem-

plo

plò venti vis, ac procellę cecidit; mox tranquillitas ſecuta eſt: ſecundaque afflante aura Emanuelis nauis omnium opinione celeriùs portum tenuit, quem petebat.

Semel inuiſit Mariam Siqueiram, fœminam eximiè piam: hærebat Mariæ lateri filia nouennis, cui maior quàm pro ætate inerat prudentia, & morum probitas. Conuerſis in virgunculam Ioannes oculis prædixit, fore vt breui Deiparæ aſſideret in cęlo, eodem ferè modo, quo Matri adhęrebat in terris. Paucis poſt diebus, præter omnium opinionem virguncula deceſſit, haud dubia ſalutis ſpe concepta: æquum enim erat credere eodem Almeidam ſpiritu afflatum, & certum de obeunda morte vaticinium, & de obtinenda poſt mortem in cælo gloria edidiſſe.

Hæc & id genùs alia edita a Ioanne prodigia magnam illi apud omnes exiſtimationem pararunt. Itaque cùm vulgò haberetur vt Sanctus, & prophetiæ dono mirabilis exiſteret, Luſitani, & Braſili nihil ferè alicuius momenti, illo in conſulto agebant: & cùm grauiùs premebantur morbis ſalutarem illius opem implorabant,

& voti compotes passim fiebant impetrata sanitate.

CAPVT QVARTVM.

Repetit Sinum Ianuarium: ibique multa praebet vaticinationis, & virtutis indicia.

ANNO à partu Virginis M. DC. XXXIX. senio iam penè confectus in Sinum Ianuarium Ioannes rediijt, vt frugiferam ea in Vrbe suæ, & aliorum iuuandis animis quietem ageret. Porrò etsi æqualem semper innocentis vitæ tenorem seruasset, in vltima tamen senectute positus, ceu nihil anteactò tempore profecisset, ita omnes animi, & corporis vires ad profectum intendit. Ergò ad summa quæque concitatissimè ferri: volare magis, quàm currere: altiùs in rerum diuinarum contemplatione mentem defigere: rigidiùs tractare corpus: ad religiosæ perfectionis metam impetu

petu maiori contendere ; nec quicquam de charitatis ardore remittere , qua fouendæ inter proximos pietati , & illorum confessionibus audiendis assiduam dabat operam: in hoc totus esse ; hoc omnibus expetere votis , vt Christum omnes colerant , & amarent . Nec verò splendore virtutum , quàm prodigiorum multitudine fuit illustrior , vt quos ad Deum non traheret virtutis amore , rerum mirabilium nouitate, alliceret.

Est animus ire per singula ; clarissima quippè cum sint , non minùs illa seruient lectorum oblectamento, quàm vtilitati.

Ludouicus Ribeiro de Silua graui oppressus morbo , simul ac capiti signum Crucis Ioannes impressit , recreari animum sensit , morboque omni corpus leuari.

Lecto tenebatur affixus Simon Vasconcellus Soc.I. Sacerdos , is qui posteà Brasiliæ fuit Prouincialis, pestilenti aflatus aere , fusoque per artus humore noxio , & totius corporis membris captus , acerbos patiebatur dolores : mouere se loco non poterat; non cibum, aut somnum capere . Tertius

tius currebat à contracto morbo iam mensis; cùm Ioannes infirmi cubiculum ingressus, oculos in Christi è Cruce pendentis effigiem, quæ ibi erat, coniecit; & multis ab illo precibus ingrauescenti indies morbo remedium flagitauit: atque, vt maius precibus adderet pondus Deiparæ etiam, Ignatij Soc. nostræ parentis, & Xauerij implorauit opem: vbi precandi finem fecit, Simonem bono animo esse iussit; eumque obtinendæ salutis spe impleuit. Sequenti die summo mane reuisit ægrotum. Somno recreatum, meliùsque habentem reperit: induere sibi vestes confestim præcepit; e lecto surgere, contractosque iamdudum artus per cubiculum inambulando explicare, & exercere. Paruit mandatis Simon: dumq; iste se domi continet explicandis a morbo gressibus intentus, ille in ædiculam B. Virginis *ab Exilio* dictam, paucis ab Vrbe passibus distantem, pergit, sacri faciendi causâ, in gratiarum actionem; & ad id potestatem sibi fieri, sanitatis futuræ præscius, multis ante diebus à Collegij Rectore petierat. Peracto Missę Sacrificio in Collegium reuersus Simonem Socium habuit, ita

sa-

ſanum, ac confirmatum, vt nunquam decubuiſſe videretur.

Ionnes Oliua rei domeſticæ adiutor, lenta tabeſcebat febri; ingentem etiam fædi humoris copiam ſingulis ferè diebus per os euomebat: propediem moriturum credebant omnes. Almeida illius perſanandi miro tenebatur deſiderio: infirmorum quippè curam ſic ille ex officio habuerat in Collegio, vt ab vnius ſalute omnium pendere ſalus videretur. Igitur à P. Rectore obtinuit vt ſibi liceret, Oliua Socio, in ruſticanam villam, animi gratia, per aliquot dies ſecedere: ibi, ceu arduam aliquam expeditionem aggredi cogitaret, & multis inſtitit in ſeipſum ſæuire modis: iungere cum noctibus orando dies: quotidie, nec ſine lacrimis, ad aram facere. Dies nouem, quos Deiparæ, & B. Xauerio, ad impetrandam Oliuæ ſanitatem, votiuos deſtinauit, huiuſmodi viuendi ratio tenuit. Nono iam exeunte die voti ſe compotem factum ſenſit, & ſalutem ægroto exoratam. Continuò lętis Oliuam vocibus compellat, *Chariſſime*, inquit, *frater immortales Virginis, & Xauario grates agas, qui te mortifera laborantem febri*

per-

perſanare voluerunt ; latentique in hepate vlceri à quo ceu fonte perennis manabat ſanies , remedium adhibere. Sub ipſum Xauerij diem (hoc eſt poſtridiè Kalend. Decembris) perfectè valebis , vt omnibus conſtet , te illius potiſſimùm interceſſione fuiſſe ſanatum. Nec mora : Oliua in Collegium cùm Ioanne reuerſus deſignata Xauerij die perfectè conualuit : recuperata ſanitate , & gratijs , vti par erat , Deo , & Xauerio actis , infirmorum curam gerere , & alia charitatis obire cæpit miniſteria ; eò alacriùs , ac diligentiùs quò propiùs morti fuerat : nempè ſalutem ſibi redditam eſſe ſciebat , vt aliorum ſaluti , commodiſque ſeruiret.

Dominicum Garciam phtiſi propemodum confectum , eadem prorsùs , qua Oliuam , mendendi ratione ſanauit. Huic etiam humanioribus iam exculto litteris , & diſciplinis grauioribus ſtudere cupienti ſeriò conſuluit , vt ſtudendi curam omitteret , & ad alia Societatis munia exercenda animum verteret. Paulò poſt, quod nemo putabat , omiſſis Theologiæ ſtudijs alia religionis munia obire

obire Dominicus iussus est ; & in ijs reliquum vitæ tempus laudabiliter consumpsit.

Multi, & frequentes in familiaribus nostrorum colloquijs de Ioannis virtutibus sermones fiebant: alius aliam laudabat virtutem. Nec deerant qui altius iusto illius sanctitatem efferret, beatumque vocaret, & Apostolico plenum spiritu. Quidam verò qui sibi prudentior cæteris videbatur, longè ab ea fuit opinione: negauit vtique dici posse perfectum, qui haud paruis erat, & animi, & corporis defectibus obnoxius. Non latuit res Ioannem in semoto admodum loco tunc orantem: ergò paucis pòst horis cùm in hunc ipsum incurrisset, extemplo ad illius se abiecit pedes; nec finem fecit agendi grates, quòd in familiari cum Socijs colloquio iustam de suis erratis tulisset sententiam: *Vnus tu omnium*, inquit, *de me optimè iudicasti*. Ad hæc Socius erubuit, & viri sanctitatem miratus est, qui etiam absens, diuine illustratus lumine, longè dicta, factaque, Vatum more perfectè cognosceret.

Neque domi solùm, sed etiam in Vrbe [Ioannis] opera, & virtus e-

nituit.

nituit. Franciſcus Barretus de Faria ex tetro quodam vlcere decumbebat, quod interiorem dextri lateris partem occupauerat, & confluentibus eò humoribus noxijs mirum in modum intumuerat. Æger abiecta ſpe viuendi, & Eccleſiæ ſacramentis ritè ſuſceptis ad mortem ſe comparabat, & Ioannem accerſiri fecerat, vt ſibi animam agenti adeſſe vellet: qui tanto charitatis officio ne deeſſet, ſtatim accurrit; fuſiſque ad Deum precibus, & B. Ioſephi, Deiparæ Sponſi, ope implorata, latus dextrum, in quo latebat vlcùs, Cruce ſignauit; & ecce tibi illo ipſo, quo id egerat, momento, tumor, dolor, vlcus euanuerunt.

Eliſabetha Mariſia, Franciſci Coſtæ de Barros, nobilis Luſitani coniux, ex graui morbo, ac diuturno in vltimum venerat vitæ diſcrimen: totos dies octo ſine cibo potuq; tranſegerat: cæperat linqui animo, & voce pariter ſenſibuſque deſtitui: iamque extrema, tanquam depoſitæ parabantur: cùm Ioannes opportunus aduenit, Deumque pro ſalute Eliſabethæ breuiter precatus, ſeriò pronuntiauit, *nequaquam ex eo morbo morituram*:

Nec

Nec vana prædictio fuit; nec incassum fusæ ad Deum preces. De repentè visa meliùs habere fæmina, & liberius iam meante spiritu, oculos aperire; inde redeunte paulatim animo, circumstantes agnoscere, & sensuum vsum cum voce pariter recuperare: nec multò post receptis a morbo viribus, domùs gubernationi vacare cæpit: quod ipsa salutis beneficium, secundùm Deum, Ioannis precibus acceptum retulit.

Infantem nomine Antonium, febri continua laborantem, imposita super caput manu, sanitati restituit.

Mancipium ex quodam vulnere in rixa suscepto stuporem paralysi similem contraxerat: os ei distortum, & ita clausum vt nulla aperiri vi posset, nec ad inferendũ quidem cibum: post multorum dierum inediam in extremum adductus discrimen est. Hunc conclamatum inuisit Almeida; manus ori adhibuit: de repentè hiauit æger; cibum admisit; potum accepit; ac deinceps suo loco os restitutum, & sanitas infirmo reddita: recreatus omninò conualuit: euentum admiratio consecuta.

Natum fuerat Antonio Coellio Oliuæin finiſtro latere ingens, & malignum vlcus, quod procedente die, inſtar ſaxi induruerat, ſummis patientis doloribus. Poſt varia, & excogitata, & applicata a Chirurgis remedia immedicabile apparuit: ventum ergò (quod in deſperatis fieri ſolebat) ad Almeidam: is rem ſuſcepit, & manuum tactu vlcus ſuſtulit, dolorem abſtulit, periculum abegit.

Antonium Corream graui admodùm morbo oppreſſum manu tetigit, & ſignauit Cruce; eoque ahibito remedio, morbo leuauit.

Ludouicum Perez periculoſus, & moleſtus morbus lecto affixerat; eoque detentus redire non poterat in Sanctorum Coloniam, vbi chariſſimam ſibi coniugem, fiilioſque reliquerat, vt ibi inter illoꝛum amplexus, lacrymaſque lætus obiret. Erat tum in portu nauis ad profectionem parata; ſed vrgente maximè per eos dies vi morbi, æger mari ſe committere formidabat. Ioannes rei conſcius, Ludouicũ monuit, metũ poneret, & nauem coſcenderet ad Sanctos Colonia velificantem; eoq; venturũ incomẽ certò

denun.

denuntiauit. Dictis respondit euentus: ægrotus conscensa naui ad Sanctorum portum saluus applicuit: ibique inter amicorum lacrymas, filiorum amplexus; & quod caput est Ecclesiæ Sacramentis ritè susceptis, haud dubia æternæ salutis spe concepta, fato concessit.

Emanuel de Moura, Andreas Martines nostræ Societatis alumni, Franciscus Oliua, Franciscus Trancoso, externi; & complures alij cùm Brasili, tum Lusitani, qui morbis conflictabantur, Almeidæ precibus, conualuere protinùs.

Illud in paucis memorabile: Melchior Fonseca Nauarchus è Ianuario sinu aliò nauigare parabat. Cæterùm atris obductum nubibus cælum, tenebrisque inhorrescens mare impendentem in singula momenta tempestatem minitabantur, & Melchiorem cogebant plures, quàm vellet, dies eo in portu hærere. Ioannes, re cognita, Nauarchum hortatur, vt mari se fidenter committat, Deiparæ tamen auxilio priùs implorato. Paruit ille Ioanni: & continuó, votis Deiparæ nuncupatis, magno animo vela fecit, importuno quamquàm tempore, at ris-

atrisque nubibus incubantibus mari. Et multo magis Deo, ac Beatissima Virgine fauente, quàm ventis, ac tempestate obsecundantibus, in eum ipsum quem destinauerat portum, celeri nauigatione peruenit. Vixdum portum nauis attigerat; cùm nimbi densissimi (quasi tum venia data) ingenti fragore, impetuque, cælo effundi, micare fulgura, mugire tonitrua, furere venti, sæuire pelagus, & fœda exoriri tempestas cæpit: quæ Ioannis quasi suspensa precibus tenebatur, donec Fonsecæ nauis tutam in stationem se recepit.

Habent animi, vti & corpora, ægritudines suas: atque longè gloriosius est, & prodigijs nobilius, reuocare illos ad sanum bonumque habitum, quàm humores corporum discordes natiuo concentui reddere, & membra perdita instaurare. Multa in hac parte, eaque illustria Ioannes patrauit: ex ijs vnum deligam, quod omnium instar esse poterit. Versabatur in fluuio Ianuario iuuenis Lusitanus honesto loco natus, qui militiæ primùm nomen dederat, & adolescentiæ florem peccandi licentia corruperat: conuerso posteà ad mercaturam

studio

ſtudio, totus coaceruandis pecunijs, nulla habita iuſti, & æqui ratione, inhiabat. Huic ſeculi negotijs implicito, & multorum vitiorum caligine immerſo quidam diuinæ bonitatis tadius affulſit, mentemque iniecit redeundi ad meliorem frugem, & omnes antè actæ vitæ ſordes apud Ioannem confeſſarium deponendi. Igitur per aliquot dies omnium peccatorum confeſſionem apud illum ritè peregit, tanto doloris ſenſu, vt vix poſſet inter confitendum à lacrymis, & gemitibus temperare. Et quia nihil ſe gratius Deo facturum putauit, quàm tanti viri veſtigijs inſiſtere, eumque cæleſtis viæ ducem, & ſpiritùs magiſtrum habere, ex eo tempore totum ſe illius arbitrio fingendum, ac formandum commiſit. Euenit paulò poſt vt caſtigandi corporis causà, ferreum cilicium ab Almeida peteret acutis totum confixum clauis, cuſpidibus introrsùm ad feriendam carnem conuerſis, quò ſe aduersùs hoſtem domeſticum, Satanamque muniret; haud ignarus quantis ille viribus, doliſque contendat à ſectanda virtutis via tyrones Chriſti auertere. Cæterùm vix corpus cilicio cinxerat, cùm carnis
ſti-

ſtimulis ita exagitari ſeſenſit; vt nullo poſſet loco tutus conſiſtere. Inops conſilij ad Ioannem confugit; rem exponit: auxilium implorat. Is cognitis diaboli fraudibus, quibus nondum bene firmatam tyronis virtutem conuellere nitebatur, eiſdem vtendum artibus ad ſalutem cenſuit, quibus ille ad perniciem abutebatur: ergò reſtitutum ſibi a tyrone cilicium ſuo appreſſit corpori, & continuò iuueni reddidit, iuſſitque vt illo iterum ſe fidenter muniret: ſperabat enim fore vt in poſterùm ſuperatis hoſtibus victor euaderet, & nullis Satanæ fraudibus eſſet obnoxius: vti re ipſa euenit; nam in reliquum vitæ tempus (quod iure mireris) omni prorsùs libidinis ſenſu caruit.

Contigit etiam vt eiuſdem iuuenis è ſilice ignitabulo ſcintillas extundentis oculum diſſiliens indè particula grauiter læſerit, non ſine acerbo ſenſu doloris. Ioannes, ne minùs eſſet in curandis animi, quàm corporis morbis præſtans, ſigno Crucis ſuper oculum effermato, ſilicis particulam excuſſit, & dolorem repentè ſedauit: quædam tamen rubri coloris nota,

præ-

præteriti mali index, remansit in oculo, vt iuuenis acceptum à Deo, Ioannis interuentu, beneficium præ oculis semper haberet. Eumdem prætereà graui auditùs dolore vexatum, verbo, *Ephpheta*, Seruatoris nostri more, pronuntiato, & signo Crucis auribus impresso confestim leuauit: eaque ratione, & Medici, & Magistri partes in discipuli laborantis vtilitatē gessit.

Hæc dum Ioannes agit Fluuio Ianuario: nec minùs prodigiorum multitudine, quàm sanctæ vitæ exemplis, & frequentibus de Deo sermonibus, omnes ad pietatem accendit: ardens inuidia Satanas, secundum rerum cursum suis, vt solet, artibus interrumpere, & Almeidam de medio tollere cogitauit: ita se res habuit. Vocatus ad confessionem cuiusdam Brasili qui morti erat proximus, nulla interposita mora, itineri se commisit, paucis comitatus indigenis: dumque laxandi animi causà, multa cum Socijs per viam de rebus cælestibus miscet colloquia, proiectum summa vi ab alto saxum prętereuntis caput grauiter vulnerauit, & mortuo similem in terram deiecit: tum verò Socij so-

liciti, anxijque hinc, indè circumſpicere (ſolitarius enim locus erat) & tanti ſceleris authorem diligentiſſimè perquirere cunctis, circumquaque perſpectis, nullus tanti flagitij author inuentus: omnibus perſuaſum, proiectū à dæmone fuiſſe ſaxum, qui iampridem Almeidæ maximè infeſtus nullum non mouebat lapidem, vt eum occideret. Verùm Dei ſeruus ſibi iam redditus, ne, dum medendò vulneri eo ipſo in loco moratur, infirmus ſine confeſſione decederet, ſtatim circumuoluto temerè capiti ſudariolo, totus ſanguine perfuſus, ceptum iter ſtrenuè perſecutus, ad Braſili decumbentis tugurium medias inter ſiluas erectum, tandem peruenit: vbi, confitenti aures dedit, eumque Sacramentis Eccleſiæ, & idoneis ad bene moriendum conſilijs pręparauit; nec indè abſceſſit, donec ille animam Deo redderet. Alienà ſalute procuratà, ad Collegium reuerſus, Chirurgis ſui curam habere permiſit: paucis poſt diebus, diuina magis, quàm humanà operante virtute, perinde acſi nullum accepiſſet vulnus, ita integer fuit, ac vegetus. Porrò nonnulli Sociorum religione tacti, effu-
ſum

sum in via è vulnere cruorem sudariolis, & linteolis exceperunt, & domos secum retulerunt; cuius posteà virtus multis graui morbo laborantibus saluti fuit.

CAPVT QVARTVM.

Referuntur illustres aliquot Ioannis *prædictiones.*

NEque verò Brasiliæ, & Americæ finibus Almeidæ virtus, & fama se tenuit, sed Oceanum transgressa peruasit in Africam, & Europam: ac, ne rerum quæ nobis describendæ supersunt, magnitudini dicendi breuitate detrahamus, operæpretium erit, eas fusius enarrare. Millesimus sexcentesimus quadragesimus primus agebatur annus, cùm Hollandi instructa in Angolam classe delati. (Regnum id est in ora extima Æthiopiæ Occidentalis Lusitanorum imperio subiectum) Loandam Vrbem illius primariam nullo ferè negotio ceperunt, & imposito militum præsidio firmarunt. Magnam res Lusitana iacturam ea amissa Vrbe; Christiana

non minorem fecit; nec tam citò poterat reparari; tum quòd maior omnium opinione erat; tum quia Lusitanis Hispanico per id tempus bello distentis minimè vacabat in Angolanum vires, curasque conuertere. Exeunte demùm anno M. DC. LVII. comparata magno impendio Vlissijppone classis in Angolam soluit, Præfecto saluatore Correa de Sà Benauidio, magni nominis Dynasta, & rei bellicæ peritissimo; qui celeritate vtendum ratus, ineunte anno M. DC. LVIII. ad Sinum Ianuarium in Brasilia appulit, vt ibi quid optimum factu esset, exploraret. Exscensione in terram factà, nihil illi fuit antiquius, quàm Ioannem, de quo multa, eaque præclara audierat, conuenire, eumquè de belli Angolani exitu consulere. Is, transactis aliquot diebus, re priùs Deo commendatà, Præfectum adijt, monuitque, vt duodecima insequentis Maij die in Angolam vela faceret, & Loandam Vrbem primùm inuaderet: in ipso ardore certaminis, Assumptæ in cælum Virginis, & D. Michaelis cœlestis militiæ principis nomen, opemque imploraret ne desisteret:

hac

hac enim ratione fore vt insignem de hostibus obtineret victoriam, & antiquum Lusitanis decus, marisque imperium cum libero commercio redderet. Id Ioannes diuino spiritu afflatus, vt verum posteà euentus docuit, oraculum fudit; quo Præfectum reliquit rei benè gerendæ spe, ac fiducia plenum. Ergò is, vniuersis fausta precantibus, designatà sibi maij die, in Angolam soluit. Iamque multum nauigando processerat, cum ad portum nomine *Quicombum* multis a Loanda Vrbe milliarijs dissitum, saluus appulit; ibique exposito in terram milite, diutius, quàm par erat, substitit magnæ molis arci condendæ intentus, quæ portus faucibus immineret, & hostium classibus eò redentibus aditum præcluderet. Cæterùm res euenerit memoratu digna, quæ Benauidij consilium conatumque disiecit; & statione relicta, aliò classem nauigare coegit. Locatis namque ad Quicombum castris, & recreato paululum milite, coorta repentè tempestas in Lusitanam classem intrà commodissimi portùs sinum in anchoris stantem tanta vi in-

cubuit, vt Architalassi rostratam ad scopulos allisam fregerit, ducentis quinquaginta espibatis, qui illa vehebantur, fluctibus haustis, socijs inspectantibus, neque auxilium ferre valentibus: aliorum verò nauium vela, contracta licet, disrupit, disiecit armamenta, & in ultimum discrimen adduxit. Furebat vnum intra portum tempestas, & illius finibus se tenebat, reliquo extrà portum, quàm latè patebar, mari pacato, nulloque agitante vento summa torpente malacia. Attoniti rei nouitate vectores hærebant, incerti quid consilij caperent, vel qua ratione à periculo imminentis naufragij se explicarent intrà portus angustias conclusi. Receptis demùm ab ingenti pauore animis, immissam diuinitùs in classem credidere procellam, & rostratam fluctibus haustam, vt neglecti consilij, quod illis dederat Ioannes pœnas luerent; quippè qui Loandam rectà contendere, non Quicombum diuertere præceperat. Ad vota igitur precesque conuersi diuinum placare Numen, sibique propitium reddere curant. Exauditas supplicum preces ipse rerum exitus decla-

declarauit: tumidum namque paulò post mare deferbuit, remisit vētus, dissipatisque nubibus serenitas cum luce rediјt: & classis Præfectus instauratis intrà paucos dies nauibus, solutis anchoris in Loandam vela dedit: in cuius portum secundo nauigationis cursu inuectus quintadecima Augusti die Assumptæ in Cælum Virginis Sacra, primo statim impetu Vrbem cepit, vt ipsius Virginis auspicijs bellum geri, administrarique constaret. Auctis ob expugnatam Loandam militum animis, viribusque in vnum collectis, ipsam Vrbis arcem, quæ totius belli summa erat, oppugnare decreuit. Illam mœnibus, & aggeribus vndique Hollandi cinxerant, & extructis pro locorum opportunitate propugnaculis, maioribusque tormentis ad arcendum hostem impositis, egregiè munierant. Veruntamen expugnato à Lusitanis propugnaculo Sancti Pauli, quod omnium firmissimum credebatur; de dedenda confestim arce præsidiarij agitarunt, quam paulo post iustis pro tempore conditionibus Lusitanus recepit ipsamet vicesimaquinta Augusti die, qua septem antè annis ab Hollandis occupata fuerat.

Dum hæc in Angola geruntur ſparſus incerto authore rumor per Coloniam Ianuariam latè vulgauit, Luſitanos inſigni accepta clade a Loandæ obſidione repulſos; claſſis etiam Præfectum rei malè geſtæ dolore ſubitò extinctum eſſe: Hollandos præterea illuſtri de Luſitanis parta victoria, & opulenta præda potitos de occupanda Braſilia iam conſilia gitare. Hic temerè diſſipatus rumor Vrbis Ianuariæ ciues mirè ſolicitos, anxioſque tenebat. Nec deerant qui ſuſceptæ contrà Hollandos expeditionis authores, (nec Almeidæ parcebant famę) maledictis inceſſerent; & per vicinos Vrbi pagos indignas fide turbas mouerent. Ille vulgati rumoris conſcius, ne latiùs is per Braſiliam ſerpendo perua deret, & tumultu cuncta compleret, conſternatos metu ciues, & mærore torpentes ad fiduciam excitat, & bene ſperare iubet, palam denuntians, comparatam iam a noſtris de hoſtibus victoriam; & Loandam Vrbem, quæ totius erat expeditionis ſcopus, nullo ferè negotio recuperatam: Benauidium item claſſis Præ-

fe-

fectum ſaluum & incolumem eſſe: Claſſem denique Luſitanam bellica tumentem gloria, & ſpolijs Hollandorum onuſtam Sinum Ianuarium redituram: ipſo die, quo Vndecim millium Virginum celebritas ab Eccleſia agitur, affuturum partæ victoriæ nuntium. Hæc Ioannes non ſemel affirmauit coram multis ſimul adſtantibus Luſitanis; ſingula vti geſta erant in Angola, recenſens, non ſecùs ac ſi præſens eſſet: eoq; plus admirationis res habuit, quòd Loanda duò ferè millia milliarium à Sinu Ianuario abeſt. Habita prædictioni fides eſt: eximia quippè viri ſanctitas, & quędam diuini ſpiritus indicia, quæ in ipſa facie emicabant, nullum relinquebant ambigendi locum. Breui interiecto tempore, ea ipſa quam Ioannes deſignauerat, die, certus de Loandica victoria nuntius Sinum Ianuarium intrauit, qui Vrbem ipſam, & Braſiliam vniuerſam increbili gaudio affeçit, & conceptam iampridem de Ioannis ſanctitate opinionem confirmauit.

Lætum huiuſce claſſis euentum, infelix claſſis alterius caſus excipiat, vt liquidò conſtet nullam rebus humanis ſolidam ineſſe felicitatem; ſed alternantem fortunam vices triſtia, ſolitam lætis, ſecundis aduerſa miſcere. Anno M. DC. L. menſe Iulio Luſitana claſſis (flotam vulgò appellant) pretioſis onuſta mercibus è Fluuio Ianuario Luſitaniam repetebat: viginti numerabat onerarias, roſtratas maiores tres, quæ cæteris præſidio erant: Præfectis Antonio Temudo, & Antonio Abreu de Freitas. Antequam ſolueret è portu monuit Almeida, Temudium, ne recta, Vlyſiponem nauigatione, contenderet, ſed ad Bahiam primùm, dictumuè à *Morro* portum in ipſa Braſilia, prorsùs diuerteret, vt ibi quid optimum factu eſſet, exploraret: ſi ſuis non obtemperet monitis, malè ſe metuere, inquit, ne graue aliquod infortunium Luſitana flota patiatur. Temudius tamen obiectæ formidini minimè cedens, Vlyſipponem versùs altum per Oceanum ferebatur: vbi vera illum ſubijt, ſed nimis tarda, pænitentia facti. Ea namque tempeſtate Robertus, & Mauritius, germani fratres

tres, Caroli I. Angliæ Regis nepotes, Anglici Parlamenti hostes acerrimi, classis cui præerant, reficiendæ causa, in Vlysipponis portum se receperant, & à Rege Lusitaniæ honorificè excepti fuerant. Grauem propterea dolorem cepit Parlamentariorum Senatus, penes quem rerum tum in Anglia summa potestas erat, facinus indignum ratus Anglici Parlamenti hostes, specioso magis, quàm sano consilio à Lusitanis hospitio excipi, & portùs sinu foueri. Dolore igitur iracundiam acuente, Blakum magni tum nomimis ducem, cum triginta bellicarum nauium classe in Lusitaniam misit, vt antè ipsas Vlysipponensis portùs fauces parato ad pugnam agmine consisteret, ibique hæreret, & mare commeatibus infestum redderet; eaque ratione dignas à Lusitanis ob illatam, vt ipse existimabat, Anglis iniuriam, pænas repeteret. Blakus, data prima nauigandi facultate in Lusitaniam classe delatus, Vlysipp onensis portùs fauces obsedit, & commercium ea cum vrbe maritim um impediuit.

Harum sanè rerum quæ in Europa, gerebantur, Temudius in America


prorsùs ignarus, totus ad nauigandum intentus, Vlyſipponem claſſe petebat. Ergò iam vicinus portaui in Anglorum naues incurrit omni bellico apparatu inſtructas. Pugna extemplò committitur. Onerariæ potiſſimùm Luſitanæ ab Anglis prædę inhiantibus oppugnantur acerrimè: roſtratæ laborantibus opem ferre, tormenta diſplodere, & quocumque ſe verterent, (vt erant apprimè tormentis, ac bellatoribus communitæ) magnam ſtragem hominum, nauiumque hoſtilium edere: nec ſuo deeſſe officio Luſitani Duces, etſi nauium numero, roboreque hoſtibus longè impares erant. In medio ardore certaminis, peropportunè accedente maris æſtu lenis à puppi ſpirans aura onerarias vndecim, quæ magis agiles erant, in portum Vlyſipponis impulit. Septem, mercium grauante & morante pondere, in hoſtium poteſtatem venerunt: tres, dum fugiunt Anglos, ab Zelandis prædonibus interceptæ: è roſtratis duæ paſſis ad liberiorem captandam auram velorum ſinibus, fugiendo, pugnandoque ſimul, periculum, Dei beneficio, euaſerunt: tertia, qua vehe-

ba-

batur Freitas, ſua mole grauis, diſru-
ptis inter pugnandum velis, laceriſ-
que armamentis, immobilis, & vni
hęrens loco, totum prælij pondus
integrum ferè diem ſuſtinuit; nec id
alia ratione confici potuit, quàm
iniecto vndique in ipſam igne, quo
vſque ad aquæ libellam conflagra-
uit. Roſtrata incensâ, pauci e ve-
ctoribus, qui pugnæ ſuperfuerant,
in Anglorum naues recepti, & ipſo-
rum hoſtium benignitate ſeruati. In
hunc ferrè modum diſſipata Braſi-
liæ flota Temudius audaciæ pœ-
nas luit, & Ioannes prædictio-
nis apud omnes laudem meruit:
quippè qui diuino afflattus numi-
ne cognouerat antequam flota e
Sinu Ianuario ſolueret, eò appu-
liſſe exploratoriam e Luſitania na-
uem, quæ nuntiabat, claſſem illam
Parlamentariam Vlyſipponis por-
tum inſediſſe, & aditum omnem
maritimum & commeatum ſuſtu-
liſſe. Proinde contineret ſe cum flota
Temudius, dum alius nuntius idoneus
aduenisſet; vel tandiù moraretur,
donec appetente iam hyeme, ocea-
nus Luſitanicus fœdis tempeſtatibus
eo

eo maximè tempore obnoxius Blakũ cogeret in hyberna secedere, & Vlysipponis portum commercio apertũ, liberumque relinquere.

Non hic vaticinandi finis fuit. Antonio Vasæo Soc. I. alumno, qui cùm alijs quatuor Socijs ad nauigandum se comparabat, non semel prædixit Ioannes, illum graue admodùm vitæ periculum eò in itinere aditurum; vti re ipsa euenit. Tres ferè menses à flotæ discessu iam decurrerant, cùm Ioannes in familiari cùm Socijs colloquio seriò affirmauit. *Temudij flotam aduersam admodùm fortunam expertam esse*: cùm tamen nullus per eos dies internuntius ex Lusitania in Brasiliam peruenisset. Ex quo liquidò apparuit Deum illi quid in mari Lusitanico tum ageretur in America ostendisse: idque Prophetarum more, absens pronuntiauit.



CA-

CAPVT QVINTVM.

Futura iterum, & absentia præuidet: hominum cogitationes introspicit.

QVæ superiori capite narrauimus vaticinia, cæteris illustriora videntur; plura tamen non minùs scitu digna supersunt, quæ publicæ vtilitati subducere sine iniuria non possumus. Nauarchus Lusitanus è sinu Ianuario in Sanctos Coloniam vela fecerat; sed quia fama vulgabat omnia illa maria à Batauis prædoribus infestari, quidam Societatis Presbyter nauarchi patruus curis anxius erat; timebat enim ne in pyraticas naues nepos incideret. Ergo de nauigationis exitu Ioannem consuluit: qui, re priùs Deo commendata, ita respõdit: *Tuus*, inquit, *mi Pater, nepos in medio nauigationis cursu in Batauos pyratas incidit; & quia oneraria, qua vehebatur, nec ferrei nec mentis ad pugnandum satis erat instructa; nec ad fugiendum, merorùm tardante pondere, satis apta, capto ad animi magnitudine consilio ad obuias syrtes nauem impegit, ne in hostium veniret manus: naue lacera, cum sese*

sese in mare eiecisset, inter natandum, multum, diuque fluctibus eluctatus, iisque sæpè inuolutus, cælesti demum auxilio expeditus, in proximum littus euasit, toto licet corpore male mulctatus. Hæc Almeida, vti mari euenerant, non secùs ac si præsens adesset, affirmauit. Bimestri iam elapso, huius infortunij nuntius Sinum Ianuarium intrauit, qui rem omnem ex ordine retulit, vti ille multó ante prędixerat.

Emanuel Paciecus de Mello, nobilis Lusitanus, ereptam sibi a Saluatore Correa de Sà Benauidio, classis Angolanæ Præfecto, Architalassi dignitatem ferebat ægerrimè: eam ob rem doloris impatiens in sinu Ianuario manere decreuerat, nec Angolam petere cum Præfecto. Dum secum tacitus hæc mente voluit, graui tentatus est morbo, quem conceptus ob illatam sibi iniuriam dolor vehementiùs aggrauabat. Cæterùm quia vir erat pius ac prudens vt animæ saluti in tempore consuleret, in societatis collegium se recepit, vt si moriendum esset, inter sociorum manus, & preces animam Creatori redderet. Si verò conualesceret,

Lu-

Lusitaniam quàmprimum pér valetudinem liceret, se repetiturum promisit: quam cogitationem nulli mortalium aperuit: hanc Ioannes diuino illustratus lumine introspexit. Itaque cum cum iam mors esset in limine, & Emanuel a medicis pro desperato habitus, palam denuntiauit, fore vt ægrotus breui meliùs haberet in gratiam cum Præfecto rediret, neque Lusitaniam, vti destinarat animo; sed Angolam in eadem prorsùs cum Præfecto naui tenderet. Obstupuit Emanuel cum sua vidit consilia alto tecta silentio in lucem prodi. Ioannemque diuinitùs (neque enim humanitus poterat) suas cogitatione agnoscere. Et fuit prædictioni fides; nec defuit euentus. Paucis post diebus æger conualuit; in gratiam cum Præfecto rediit; eadem cum illo naui in Angolam soluit, vbi suscepto contra Hollandos bello strenuam reipublicæ nauauit operam. Antonius Azeredus Coutinius nauigationem adornabat in Coloniam Spiritus Sancti, cau-

causà indagandi ſmaragdi fodinas, quibus illa regio abundare ferebatur. Sed quia Capitis Frigidi Promōtorium, quod neceſſariò ſuperandum erat, ab Hollandis hoſtibus obſidebatur, nauigationem aggredi formidabat. Almeida hominem curis anxium lętus affatur, iuberque timorem ponere, & celſo animo mari ſe committere, die ſabbati Deiparæ ſacram: ſperabat enim fore vt exorta repentè caligo, intendentibus ſe mari tenebris, conderet lucem, quæ Luſitanæ nauis conſpectum hoſtibus eriperet; vitatoque hac ratione periculo, Promontorium feliciter prætervecta ad deſtinatum portum breui apelleret. Ea vaticinatione Antonius in ſpem felicis euentus erectus, ſolutis priùs Dei matri votis, ſequenti ſabbato vela dedit. Iamque multùm ſecundis ventis nauigando proceſſerat, cùm propè Caput frigidum in hoſtiū nauium conſpectum venit; cæterùm Ioannis vaticinij memor, ad vota, preceſque conuerſus Deiparæ expoſcit opem, vt imminens vitet periculum. Nec incaſsum fuſæ ad illam preces: nam denſa con ſe ſtim nebula mari offuſa, incumbenſque Hollandis

An-

Antonianę nauis conſpectum prorſus ademit, eoſque haud ſecùs, quàm in cæcis tenebris, errare coegit, & ab illa inſequenda omninò deſiſtere: quæ B. Mariæ Virginis patrocinio magis, quàm nebula maris tecta, pyratis bellè deluſis, & promontorio facillimè ſuperato, Spiritus Sancti portum tenuit incolumis.

Puellæ recèns mortuæ parabatur in templo noſtro ſepultura. Fodiente humiliter, & anguſtè humum foſſore, quantum ſatis eſſe duceret ad inferendum corpuſculum; præterijt caſu Ioanes, & inſpecto curioſiùs loco, foſſori edixit vt altiùs, & lâtiùs foderet: fore quippè vt breui plura in eo cadauera conderentur. Paruit reuerentia viri. Dicto euentus fidem fecit: intrà paucos dies continuatis ſubinde funeribus eiuſdem ſorores tres ſublatæ, ac elatæ, in eam illatæ ſunt ſepulturam.

Vidua quædam pauper & nobilis nubilem habebat filiam forma præſtantem, ſed deſtitutam dote: huic promiſit Almeida fore, vt ipſamet die idoneum puellà ſponſum inueniret: ecce tibi paucis poſt horis iuuenis honeſto loco natus viduę domum ingre-

greditur animo a nuptijs penitus alieno; dumque ibi paulùm moratur cuiuſdam negotij causà, ſenſit ſe occulto quodam ſpiritùs inſtinctu ad contrahendas cum puella nuptias incelli; nec multo poſt ſummo fuerunt vtriuſque partis conſenſu celebratæ.

Luſitanus, cuius nomen memoriâ excidit, in mediterranea expeditionem parabat Chriſtiano indignam nomine, vt indigenas ſeu vi captos, ſeu blanditij deceptos, in ſeruitutem abduceret: multos in id ſocios adiutoreſque coegerat, quorum animos capiendæ prædæ cupiditas occupauerat: duos item Braſilos iuuenes, qui Sociorum curę ſuberant, vt itineris duces eſſent, propoſita ingenti ſumma pecuniæ, conduxęrat. Ioannes rem odoratus, homines a ſuſcepto conſilio omni ope conatus auertere: imminentis periculi magnitudinem proponit; monitis, precibus, minis inſtat: ſed poſteàquàm operam ſe perdere ſenſit, Luſitanis diuini Numinis iram, multaſque & graues denuntiat clades: Braſilis verò itineris ducibus inter ſiyluas miſerè perituros prædicit; ſepulturæ etiam honore

nore, & christianis exequijs carituros. Vaticinatio verior fuit, quàm lætior. Itum vti decreuerant. Vix Brasili iniusto se bello peti senserunt, cùm sublato ingenti clamore impetum in hostes fecerunt, eosque, iniecto etiam, vti apparebat, diuinitùs pauore, facilè fuderunt fugaruntque. Alia aliam, vt ferme contingit, calamitas subsecuta. Lusitanorum dux collectis ex accepta clade sociorum reliquijs, ijsque ad aperiendam sibi ferro viam opportuna oratione erectis, per inuios saltus, altissimosque errabat montes, vbi cum fame & siti magis, quàm cum hostibus certandum fuit. Ad hæc atrox morbi genus ægritudine animorum, rerumque omnium inopia sensim roboratum, cæpit per vniuersos serpere, vagarique; & quosdam absumere, inter quos obiere etiam duo illi Brasili iuuenes, qui, neglecto Almeidæ consilio, itineris duces Lusitano fuerunt. Pauci, magnis defuncti periculis, ad sinum Ianuarium redierunt. Ita per omnes ferè illius expeditionis authores per vagata cæleстis ira breui tempore pænas a singulis improbæ cupiditatis exegit.

In-

Infelicem huiuscè expeditionis euentum Ioannes a Deo edoctus agnouit, quingenta circiter milliaria absens: monuitque statim vxores defunctorum, vt illorum animas per sacrificia, precesque iuuari curarent.

Non semel euenit vt qui Ioannem ex facie nondum nouerant, de illius nomine & patria a socio, submissa admodùm voce, quærerent? quibus Ionnes longo quamquàm interuallo disiunctus, diuinitùs interrogationis conscius, contenta protinus voce respondebat: *Mihi nomen est Ioannes de Almeida. Londini in Anglia natales habui.*

Vincentius Rodericius, optimæ indolis adolescens, confectis iam humanitatis studijs, Societati se addicere cupiebat: quinquenniumq; ferè abierat, & sępè repulsam passus, voti cõpos fieri minimè potuerat: animo igitur in desperationem verso, Societatis homines, & scholas valere iussit; & leniendi causà doloris, quem ceperat repulsa, in rusticanam villam secedere decreuit: instabat iam profectionis hora, cùm Ioannes a Deo monitus, misso præpr operè nuntio, Vincentium ad colloquium lætus accer-

cerſit: venientem peramanter excipit; & ne ſtudiorum curſum interſum interrumpat, enixè rogat: recipitque, illum intrà paucos dies Societati daturum nomen: nec fides dicto abfuit: vix pauci effluxerant dies, cùm in Societatem fuit admiſſus.

Vertēte anno M.DC.XXXIX. res euenit memoratu digna, quam ſumma fide & ſinceritate referam. Diuerterat Almeida in oppidum *Bouicucangam* nomine amæno propter mare loco ſitum, non tam laxandi animi causà, quàm rerum cæleſtium meditationi vacandi. Ibi intempeſtæ ſemel noctis ſilentio, ſereno cœlo, & ſtellis internitentibus latè cōſpicuo, inambulabat in littore vno comitatus Luſitano, cui nomen Emanuel Pirez Eſquacia, viro pio & honeſto; multoſque cum illo de rebus diuinis habebat ſermones: dumque ſolito attentiùs contemplatur ſtellas, derepente ſocium compellat, iubetque, intento in cœlum digito, ſtellam cæteris clariorem fixo oculorum obtutu intueri (quæ ſemeſtri ferè ſpatio ſuum in Braſilia ſolet curſum conficere) Tum, *Emanuel*, inquit, *antequam illa deſinet apparere ſtella, Luſitania*

Re-

Regem habebit Lusitanum. Visa tum fidem excedere vaticinatio; quam tamen Almeida in collegium reuersus semel ac iterum ratam habuit. Mirari qui audierant, quærereque inter se: qui tandem id fieri posset, cùm Philippus Hispaniæ Rex Lusitaniæ tum imperitaret; nec vllus suspicari posset quemquam a Lusitanis creatum iri Regem. Notatur nilhominus res tempusque ab ijs qui aderant: & ecce tibi semestri vix elapso nuntius ab Vlyssipone missus Sinum Ianuarium intrauit, qui Ioannem Brigantiæ Ducem Regem à Lusitanis creatum affirmauit Kalendis Decembribus Anni a Christo nato M.DC.XXXX.

Bahiæ in Brasilia portum valida nauium classe Hollandi obsederant Anno M.DC.LVII. & intercepto illius Vrbis commercio rem Lusitanam in vltimum discrimen adduxerant. Præerat tum suprema cum potestate Brasiliæ Antonius Tellez de Silua clarissimæ familiæ Dynasta: is qui multis ante annis P. Marcellum Mastrillium, fortissimum Societatis nostræ in Iaponia fidei Atletam, sua in Orientis Indiam vexit naui. Ianuarij Rector collegij è re publica & Christia-

na fore iudicauit, onerariam vario commeatu instructam Bahiensibus rei frumentariariæ inopia laborantibus submittere, cui præficiendum curauit quemdam Societatis laicum, virum industrium, & rei nauticæ benè peritum. Cæterum quia res erat plena periculi, is antequam nauem conscenderet, Almeidæ precibus, & sanctis sacrificijs se valdè commendauit: qui consulto priùs Deo, oraculum edidit, quod scripto mandari voluit: *quandoquidem*, ait, *Superiorum mandato, mari te committere non formidas, certò scias per mediam Hollandorum classem Bahiam venturum incolumem*. Dictis respondit euentus: oneraria, duce & gubernatore laico, vndecima die Maij e Ianuàrio Sinu profecta, septima Iunij sub ipsum hostium conspectum, clarissima luce ad Bahiæ portum appulit salua.

Iusserat Brasiliȩ prouincialis, vt Ioannes Oliua, de quo suprà meminimus, in Bahiȩ collegium se transferret: ægrè ferebant Socij Ianuariẽses Oliuæ discessum. Ioannes rei conscius, socios solatur, prȩnuntiatque. *Bahiam quidem breui iturum Oliuam, sed rediturum omnium opinione celerius*. Idque propria

ſcriptum manu, quò maior haberetur dictis fides, deſcendenti fratri tradidit. Nec prædictio feſellit. Vix Oliua peruènit Bahiàm, cùm repetijt Fluuium Ianuarium, noſtroſque ingenti gaudio affecit & Almeidæ Sanctitatem commèndauit.

Id longè illuſtrius in medio nauigationis curſu eidem contigit Oliuæ. Atrox coorta tempeſtas nauem quam vehebatur cæcis in fluctibus penè transuerſam egit; actumque de illa putabant omnes: in his rerum anguſtis Oliua, diuino quodam inſtinctu motus, chartam Ioannis manu ſcriptam, quam apud ſe habebat complicatam, ad ventos explicuit: atque eodem prorsùs momento tempeſtas inſigni ſanè prodigio conquieuit: inſperatam maris tranquillitatem vectorum admiratio conſecuta.

Die viceſima ſecunda Iulij (is Sanctæ Mariæ Magdalenæ ſacer eſt) Anni 1653. cæleſtis mentis impulſu præſenſit certa ſe eius anni die moriturum; idque prædixit familiaribus: addito, à Deo item accepiſſe ſe vnum ex electorum numero eſſe. Ex quo ille tantum gaudium cepit, vt cum ſe continere non poſſet, Rectorem col-

legij,

legij, & fratres adiret, & ijs causam exponeret, rogans, vellent Deo secum pro illo ac par erat, gratias agere.

Sub idem ferè tempus vnus Sociorum de sua æterna salute curis anxius vix poterat vllam capere quietis partem; idque nulli mortalium detexerat. Commodùm illi fit obuiam Ioannes, eumque iubet bono ac læto animo esse, & certam de sua salute spem concipere: quibus ille dictis quietior factus & hilarior, reliquum vitæ tempu vixit in summa animi tranquilitate.

CAPVT SEXTVM.

Ioannis obitus & funus.

COnfecto octogesimo secundo annorum curriculo viuendi metam Ioannes attingebat. Vltimam sibi vitæ diem esse optauerat, quam Seruator humani generis primam in terris habere voluit Bethleemi natus, idque multis a Deo precibus flagitauerat. Creuit tamen cursu temporis citiùs moriendi desiderium, & grauem corporis sarcinam relinquendi,

vt eo iam leuatus onere, expeditior ad cælum animus euolaret. Duodecima igitur Septembris die voti ſe compotem factum ſenſit; noxio quippè afflatus eſt aere, totiuſque corporis membris penè captus: vna ſuperfuit libera ad agendum dextera: prouidente quidem Deo, ne ita contraheretur, vt ſignum crucis effingere non poſſet, & cælum intento digito monſtrare non deſineret, in quo ipſe animo perpetuò habitabat. Atque vt in cæteris, cùm grauiùs vrgentur morbis tum maximè vitioſa ſe prodit natura; ita in Ioanne tum præcipuè ſolida atque excellens pietas enituit, nam lecto affixus, & acerbis doloribus cruciatus, inuictæ patientiæ documenta præbuit; morbumque, ſeu virtutum omnium paleſtram reddidit; quæ cùm per omnem luxiſſent ætàtem, poſtremis, quibus ægrotauit diebus, vt in deficiente lumine euenire ſolet, clariſſimè micuerunt.

Toto, quo decubuit tempore, miram in ore hilaritatem prætulit; ita ut in exilio adhuc poſitus, cæleſtis patriæ gaudia iam præcipere videretur; & lecto adſtantes iucun-

do


do illius adſpectu exhilarari vix poterant ſuauiſſimis lacrymis temperare. Ingraueſcente in dies morbo, Eccleſiæ ſacramenta ritè ſuſcepit, hisque munitus præſidijs ad ſupremum cum morte certamen animum confirmauit. Semel tantùm, de medicorum ſententia, inciſa vena ſanguinem miſit; quem ſtatim viri pij religione tacti linteolis excerperunt, futurum multis graui morbo laborantibus præſens remedium, vti ſuo loco videbimus. Imminente iam morte Sociorum corona cinctus, qui per vices ſuccedentes animam agentem precibus iuuabant, & dulciſſimè IESV MARIÆ nomina repetebant, Chriſti è Cruce pendentis effigiem amplexus, placidiſsimè expirauit die XXIII. Septembris; Anno humanæ ſalutis M. DC. LIII. Vixit annos duos ſupra octoginta, quorum duo ſupra ſexaginta in Societate exegit, vno ſemper & æquali innocentis vitæ tenore. Demortui vultus adeo hilaris, lætuſque manſit, vt ſpecies ipſa corporis animi Deo iã fruentis beatitudinẽ indicaret: & omnes lecto aſsidentes cęleſti quadã dulcedine, gaudioque perfunderet.


Vulgata per Vrbem Ioannis morte ingens omnium ordinum concursus ad Societatis collegium fieri cæpit; venerandi cadaueris causà: hic omnes lacrymas fundere, vel ex amissi patris dolore, vel ex pietate, qua religio animos imbuebat: & vota nuncupare, seu certa fide crederent illum inter cęlites iam versari. Continuò parari funus, solemnis instrui pompa, & innumeri è sacris familijs viri, principeque Vrbis templo ad collegium confluere, vt iusta defuncto persoluerent. Interfuit exequijs Antonio Marisius Laurerius, qui *Administrationis* nomine in Sinu Januario Australibus Brasiliæ Ecclesijs præerat, & Ludouicus Almeida antiquæ prosapiæ Dynasta, Coloniæ eiusdem Præfectus, cum vniuersæ nobilitatis flore. Iusti solemni ritu persolutis, mansit in feretro corpus expositum integrum ferè diem, vt illius contemplandi copia per otiū cuicumque fieret. Tum verò vniuersa ciuitas ad id visendum accurere; atque hi manus, hi pedes certatim exosculari: hi precarijs globulis corpus contingere, mox oculis admouere: multi flores spargere: omnes in loco hærere, nec inde auelli. Et quidem

Præ-

Præfecti Almeidæ Satellites ad submouendam turbam de industria vocati, vix poterant ad feretrum populi impetum cohibere. Ægrè tandem turbà submotà, adulta iam nocte, ab sinistrum Aræ maximæ latus sepulchro raptim est illatum cadauer, in arca lignea ad speciem monumenti composita inclusum: nulla prorsus addita inscriptione, quæ tanti viri gesta, & virtutes lectoribus indicaret. Hoc scilicet gentis nostrę Lusitanę genuinum vitium est (quę fuit aliorum iusta de illa iam ante me querimonia) quàm est ad agendum prompta, tam esse ad scribendum tardam: ac si nihil intersit posterorum nosse, quid ipsorum maiores pręclarè gesserint, vt eorum viuendi ratione, ceu speculum intuentes, vitam quoque ipsi laudabiliter instituant suam. Ioannis effigiem vulgaris quidam pictor vt potuit, penicillo adumbrauit, futuram nostris memorię causam, & incitamentum virtutis: magni quippè interest clara domi exempla, tanquam faces habere, quarum splendore ad pietatem accendaris. Fuit Ioannes indole mitissima, moribus suauissimis, quibus omnium amorem sibi

conciliabat: ſtatura corporis iuſta, facie liberali, lata fronte, colore candido, rubore interfuſo, oculis cæruleis, capillo ſubflauo; ſed matura iam ætate canitie venerabilis. Nocte funus conſequenti, dum Socij diurnis feſsi laboribus neceſſariam corporibus quietem caperent, ingens ciuium Ianuarienſium turba, nimio pietatis incenſa ſtudio, intempeſtæ noctis uſa ſilentio, & illius tenebris tecta, ſenſim ingreſſa templum, aperto ſarcophago, ſacerdotalem habitum, quo ritè indutum fuerat, dum terræ mandaretur corpus, crepidaſque detraxit pedibus, capillos etiam ex capite, & pilos ex mento nouaculis abraſit: qui pio ablati furto, domumque relati, ad depellendos poſteà è corporibus morbos dæmoneſque fugandos, potiſſimum ualuerunt.






LIBER TERTIVS

CAPVT PRIMVM.

De Charitate in Deum & proximos.



VONIAM imitandi Ioannis longè maior nobis incumbit neceſſitas, quàm de ipſo ſcribendi, legendique operæ pretium me facturum puto, ſi virtutes, quibus maxime excelluit, quaſi pulcherrimam religioſi viri ſpeciem ante oculos proponam, ut ad eam ſe conformare Societatis noſtræ homines curent, illique quàm ſimillimos imitando reddere. Initium à charitate faciam, quę inter cæteras uirtutes primatum habet.

Societatem ingreſſus nil Ioannes duxit antiquius, quàm arctiſsimo ſe amoris uinculo cum Deo ſtringere; unum ardentiſsimè diligere,

cuncta ad ipsius honorem, gloriamque referre. Siuè domi se contineret, siue prodiret in publicum, aut cum Deo erat, aùt de Deo pios sermones habebat: cum hominibus verò agebat illius dumtaxat gratia, non animi laxandi causà, temporisue fallendi. Nihil erat in humanis, cuius voluptate, aut desiderio tangeretur: & perinde habebat ijs prorsus carere, quàm supremo iure omnibus dominari: pręter Deum enim flocci omnia pendere, extra illum cuncta quantacumque hęc forent infinitis sub illo abiecta spatijs spectare, ac pro nihilo ducere. Summa eius votorum apud Deum, solaque ambitio Deum diligere, & in eius amoris pretium, amando crescere. Cuicumq; rei operam daret, Deum semper gerebat in oculis, in quo totus animo habitabat; quod inter homines rara quoque virtute pręditos, est valde rarum. Interdiù noctuque audiebatur idemtidem repetere Sanctissima IESV MARIÆ nomina, quæ altè animo habebat impressa: totusque ideo sic ardebat, vt corde incitatiùs palpitante, concuteretur corpus, & rumpendum pectus, venæque laxandæ

dæ viderentur. Hinc ille fundendi pro Christi fide sanguinis ardor, quem continuis alebat, & prodebat suspirijs: neque enim illi integrum erat affectus amoris immodicos premere, & inflammati cordis indicia inhibere. Vel illo mortis genere pro IESV cupiebat oppetere, quo Ioannes Sousa & Petrus Correa nostræ Societatis alumni, de quibus in loco meminimus, sagittis videlicet a Barbaris confixus, quarum pennis elatus ad Beatorum sedes euolaret: vel in vasta aliqua Brasiliæ solitudine, dum quærendis, Euangelij causà, indigenis, syluas, montesque pererrat, lassitudine, æstu, fame, ac siti consumptus, abiecto ad arboris alicuius truncum corpusculo, animam exhalare; quæ tam teneris, ac mollibus promebat verbis; vt in eumdem amoris sensum, & vehemens martyrij desiderium circunstantes impelleret.

Quo diuino æstuabat igne, eo proximorum corda corripere, & inflammare cupiebat. Multa visuntur in Colonia Sinùs Ianuarij, vti & in reliquis Brasiliæ Colonijs, sparsa per agros latifundia, & conficiendi saccari officinæ, in quibus Lusitani opulenti

familias habent magnas, partim Brasilis indigenis, partim Æthiopibus aliundè aduectis, in conficiendo saccaro, quo Brasilica negotia præcipuè continentur, occupatas Vilissimum id hominum genus est; ingenio tardo, & ad capienda fidei Christiana mysteria omninò plumbeo: cum his, ceu cum filijs charissimis, agebat pater: horum commodis diù, noctuque seruiebat alacriter; nihil prætermittebat, quo illorum subleuari, siue corpora, siue mentes afflictæ possent, quoniam pretioso Christi sanguine redemptos esse sciebat, & a dęmonum seruitute in libertatem filiorum Dei assertos. Hos pertinaci labore instituit ad humanitatem excolere, & Christianis simul præceptionibus erudire, ne suarum more regionum instar ferarum viuerent, & in crapulam, libidinemque proiectis satanæ magis animis, quàm Lusitanis corporibus seruire contingeret: tantumque assiduis profecit laboribus vt mirum videretur ex tam barbaris ante hominibus tam cultos euadere potuisse: sed nimirum Christianæ religionis hoc est, mansuefacere feros; & ex

lapi-

lapidibus duris Abrahæ filios excitare. Iam pudebat sine vestibus, quod solent, conspici; iam tractare incipiebant negotia, seruare ciborum tempora; salutare se inuicem in occursu; diligenter dominis operam locare: & quod caput est, frequentare diuina officia, ieiunia, flagellationes; & hominibus Europæis nec pietatis studio, nec vrbanitatis laude concedere. Amabant porrò cuncti Ioannem vti parentem, audiebant vti magistrum, venerabantur vti sanctum.

Annuntiandi Ethnicis Euangelij, eosque ab errorum suorum tenebris ad ueritatis lucem perducendi miro flagrabat studio: neque vllam suæ, vel infirmæ valetudinis, vel vltimæ senectutis rationem haberi volebat, cum de missionibus obeundis ad Brasiliæ mediterranea agebatur: susceptis quippè animarum gratià laboribus, integras sibi vires restitui affirmabat, & fessos artus roborari. Nonnulla charitatis in proximos exempla subijciam, e quibus pronum erit de reliquis coniecturam facere.

Accitus semel ad excipiendam mā-

ſit. Sic Ioannes lucrum animæ cum periculo iacturæ ſui & ſociorum fecit: quòd ſciret quam pretioſa illa merx eſſet.

Singulos de more Braſilorum pagos, doctrinæ cauſa percurrenti aliquando euènit, vt imminente iam nocte in ruſticanam præsbyteri cuiuſdam villam diuerteret: ibi tenui iam cæna refectus, in cubiculum interius ſe recepit non tam capiendæ cauſa quietis, quàm vt aliquot eo tempore rerum cæleſtium meditationi horas tribueret: cùmque iam ad multam oraſſet noctem, ſenſit ancillam quandam quæ domi erat in obſequio, ab hero ad turpia ſolicitari: graui eam ob cauſam dolere, affectus alienam culpam ſanguine proprio luere decreuit: nudato protinùs tergo cæpit ſe quam acerrimè flagellis cædere, magnamque fundere ſanguinis copiam, vt ardorem alienę libidinis eo profluuio reſtingueret. Audijt flagellorum ſonum, crepituſque plagarum ſacerdos impurus, & ſui causà flagitij ſumptum de inſonte ſupplicium. Ergò pudore ſuffuſus, ad Ioannis ſe abijcit pedes, errati veniam petit; fluentibuſque vbertim lacrymis macu

lam-

lam diluit, quam peccando contraxerant: nec priùs indè ſurrexit, quàm Ioannes ſuo punire ſupplicio aliena peccata deſineret. Cæterùm ne periclitaretur in poſterùm pęnitentis continentia, author illi fuit Almeida, vt ancillam domo eijceret, eamque apud honeſtam fœminam collocari curaret.

Rarum aliud, & inauditum, ni fallor, charitatis exemplum commemorare volo, vt religioſi præſertim viri diſcant nullum proferre verbum, quo aliorum fama, honorue lædatur. In pago, cui *Sancto Xauerio* nomen, cùm eſſet, accidit vt in familiari cum domeſticis confabulatione, eò Socij deuenirent, vt certi hominis famam arroderent; nulla conſcientia, quòd res leuis, nec occulta erat. Haud tamen id tulit Ioannes; nec diſtulit quin vetaret precibus: cùm parùm apud eos, quibus nihil penſi eſſe videbatur proficeret; in genua procumbens, enixiſſimè rogauit, ne ire vlteriùs obtrectando pergerent. Aliter viſum Socijs, qui rectè factũ, ſi culparent merẽtem, exiſtimabant: itaque maledicendo perſeuerauerunt. Tum viſu, & dictu mirum: inflatæ Ioanni vehementiùs venæ crepuere, & vbertim ſanguis effluxit, qui

per

per totam se faciem diffudit, & rubore suo obtrectantes arguere visus est. Tacuere attoniti, & pudore suffusi soluerunt cõuentum, & alij aliò concessere: stetit sanguis: & venę ad statum rediere: magno certè quanti sit facienda proximorum fama documento.

Et si ætate iam grauis esset, & morbis obnoxius, in omnem tamen iuuandi proximos occasionem excubabat animo, nullamque è manibus elabi sinebat. Summæ illi deliciæ, somno se ac cibo fraudare vt ad ægrotantium & morientium confessiones excipiendas diù noctuque statim accurreret. Nec verò dum mitteretur expectabat; sed hac in re, moderatorum præcurrebat nutum, sedulò instans, vt si quem cuiusquam necessitas, maximè importuno vocaret tempore, eum sibi quæstum nemo præriperet. Cùmque admoneretur interdum, ne se laboribus enecaret: Vitam, inquit, vacuam caritate non emo: ingentis prætereà noxę reus fierem, si ab audiendis infirmorum confessionibus ijsque ad benè moriendum præparandis desisterem, cùm in eo temporis momento summa rei vertatur; nec pauci, quia idoneo tum confessario

de-

destituuntur, æternæ salutis iacturam faciant.

CAPVT SECVNDVM.

De studio orandi.

ET si mentem in Deo, rerumque diuinarum cognitione defixam perpetuò habebat: statum tamen ac certum quotidiè seponebat tempus, quod ereptum negotijs meditationi dabat. Singulis diebus antequàm illucesceret, quatuor continuatas horas, totidem antè noctem consumebat orando: quòd si per occupationes continentis orationis filum abrumpere cogebatur, ijs expeditus primo quoque tempore illud resumebat, continuabatque, donec meditandi spatium conficeret. Inter faciendum sacrum tanta spiritùs dulcedine perfundi se sentiebat, vt vix posset à suauissimis lacrymis temperare. Porrò is in celebranti facie emicabat ardor, vt oculos iuuentium fulgore præstringeret, & animos adorantium religione imbueret. Peracto missæ sacrificio agendis diuino numini gratijs integram dicabat ho-

horam: duas ſoluendo quotidiè officij diuini penſo. Pias etiam intra ſingulas horas aſſueuit concipere meditatiunculas, vt mentis aciem ad eccleſiaſticam pſalmodiam attentiùs percurrendam acueret, altiuſque defigeret in vno Deo mentis intuitum. Non ſemel euènit vt cùm in ſecretiori oraret loco a ſenſibus penitùs abſtractus, & euecto ſurſum, ſuſpenſoque in aere corpore, in cælum animo raperetur, & terrenis rebus ſuperior diuinæ adhæreret bonitati. In miſſionibus quas frequenter obibat, vt ſuprà vidimus, ad Braſiliæ mediterranea, ſolitus erat magnam noctis partem meditando conſumere, ſomnoque detrahere, vt precibus adderet tempus: tumque maximè in noctis ſilentio ſuauiſſima cum Deo miſcère colloquia, & cæleſtibus gaudijs affluere. Quamquàm orandi conſuetudo loca iam omnia in ſacella verteret, quoties tamen copia dabatur, orabat in templo antè aram maximam, ſanctiſſimamque Euchariſtiam, vel in priuato Collegij ſacello; haud ignarus quin Deus in ſacris locis benigniùs andiret orantes. Ferè ſemper orabat flexis genibus; tanto ſpiritùs ardo-

re,

re, vt ei cor è pectore exilire, animus deficere videretur. Nihil ferè alicuius momenti aggrediebatur, nisi consulto priùs, & propitiato per sacrificio, precesque Deo: tantumque meditando diuini hauriebat luminis, vt & futura prædiceret, & longe posita, ceu præsentia intueretur, nec raro cogitationes hominum introspiceret. Familiare Ioanni fuit difficillimarum rerum intelligentiam assequi, & recondita patefacere Sacræ Scripturæ mysteria: deque fidei Christianæ articulis tam scitè & copiosè disserere, vt quamquàm altioribus non esset disciplinis instructus, eximios tamen Theologos in scholis diù, multumque versatos in admirationem adduceret: cogeretque fateri, quæcumque ille sentiret, diceret ve ab æternæ sapientiæ fonte orationis studio hausta esse. Iuuandis licet hominibus asiduam daret operam, perennem tamen agendi cum Deo consuetudinem intermittebat nunquam. Nec hominum, qui ad eum consilij causà ventitabant, congresibus impediri se sustinebat, quominùs sermones de Deo suaui quadam dexteritate insereret: venustèque

exem-

exempla Sanctorum è Vitis deprompta narraret, quæ fouendæ suæ, & aliorum pietati seruirent: ijs rerum diuinarum colloquijs tantùm valebat, augebatque, vt traditum legamus vix quemquam cum eo egisse, quin aut alius omninò ac venerat, aut propè alius, indè recesserit.

Simon Ribeiro Castanho, vir pius & honestus, iuratus affirmauit, visum a se Ioannem dum sacris operaretur, a sensibus alienatùm cœlesti quadam nitentem pulchritudine, & faciè mirum in modum radiante. Beatissimam Virginem Mariam unicè diligebat, solitus eam summa religione colere, & *Matrem Admirabilem* in omni sermone appellare, illiusque opem suis in laboribus & periculis exposcere: ac tam indulgentem habere, ut nihil ferè a Deo peteret, quin eius intercessione impetraret. Nobilis quidam Lusitanus uir summæ fidei & probitatis, narrabat sæpè ab se repertum Ioannem in pago Conceptionis, in quo parochum diù egit, multa iam nocte submissis orantem genibus antè arã tẽpli maximã, in qua Deiparę imago colebatur ibiq; immoto corpore perseuerantem; donec, ingruente

gruente somno, naturæ necessitati paulisper cedens, humi procumberet: aliquando Deiparam & Ioannem multos vltrò citròque sermones habere; & a media ferè nocte ad lucem vsque familiariter inter se colloquendo, tempus trahere. Archangelum etiam Michaelem, cælestis militiæ Principem, studiosissimè coluit, & B. Iosephum, Sanctissimæ Virginis sponsum: secundùm hos Ignatium & Xauerium quorum vitas ceu speculum, ad quod se componeret, ante oculos semper habebat.

CAPVT TERTIVM.

De animi submissione, & sui contemptu.

PRincipio maximè incubuit eò, vt ædificij, quod in summum euehere perfectionis Euangelicæ culmen moliebatur, altissima iaceret fundamenta humilitatis: hùc meditationes, huc piorum lectionem librorùm: hùc sermones, hùc denique curas conferebat omnes. Ita de se, suisque rebus humiliter sentiebat, vt se mortalium omnium infimum iudicaret. Nihil

hil in ſermone frequentiùs vſurpabat, quàm Londini ſe natum eſſe, regnante Eliſabetha, cùm maximè per Angliam graſſaretur hæreſis: indè profectum in Luſitaniam viliſsimi inſtar mendiculi, omni prorsùs humano ſubſidio deſtitutum: Vianæ, (id eſt nobile & opulentum in Prouincia Bracharenſi Emporium) a viro quodam pio, Dei amore, comiter ſuſceptum, & in Braſiliam miſſum, vt viuendi ſibi quęreret facultatem: ibique diuini Spiritùs inſtinctu, Societatem ingreſſum, & innumeris a Deo beneficijs cumulatum, de nulla re minus, quàm de gratijs; vti par erat, ipſi Deo agendis, & de procuranda animi ſalute cogitaſſe: quos cùm ex intimo cordis ſinu traheret humilitatis ſenſus, ad ipſos quoque aùdientium animos tranſmittebat: eò etiam efficaciùs, quod perfectiùs multo in agentis manu, quàm in ore dicentis expreſſa demiſsio eminebat. In pauperum quippè tugurijs frequens erat vt illorum ſeruiret commodis: nullum loci ſquallorem, nullam ſordium fæditatem, vt aſsideret benigniſsimè miſeris, refugiebat. Virorum verò nobilium domos & aulas Principum, nec

nec nisi uocatus, adibat: dictitare solitus: *quisquis in aula frequens est, fermè plus domum reportare de aulico, quàm in àulam tulerat.* Franciscum de Sotomaior Fluuij Ianuarij Prefectum, sui amantissimum, nonnisi pij alicuius negotij causà uiscebat: seriò affirmans se minimo etiam temporis momento indigere ut æternitatem lucraretur, procul a principum familiaritate, & aulæ usu. Ludouicus de Almeida Ianùariæ item Prætor Coloniæ, Ioannem sibi delegit confessarium; quod ille munus, superiorum mandato, inuitus licet suscepit. Cæterùm quia id honoris magis, quam oneris habere uidebatur, breui interiecto tempore, tantùm apud Ludouicum precibus, lacrymis, modisque alijs institit, ut is importunis demùm precibus cesserit, & suam ad illius uoluntatem conformare coactus fuerit, & alteri ex Socijs litteris & probitate conspicuo onus imponere.

Laicis etiam fratribus summa cum animi demissione obedire consueuit, ijsque loco cedere, & primas vbique tribuere, quippè qui se nullius inter homines nominis æstimabat, òpus fuit, vt maiores rei conscij, ni-

mio ſe demittendi ſtudio modum ponerent, ne Sacerdotis perſona, quam gerebat, contemptui eſſet; & ſui deſpicientia in iniuriam cederet publicę dignitatis. Modum namque virtutes habẽnt, ac in medio quodam verſantur; quod ſi excedant in vitia degenerant. In more habebat ſuam coco per aliquot horas operam deferre: idque ſingulis ferè diebus, atque in uiliſſimis culinæ miniſterijs ſe exercere: lances extergere; & quidquid in vſus menſæ patinarum, lebetumque ſorduerat, repurgare; nec facilè dictu eſt, quanta iubenti cum alacritate & religione pareret; quaſi in eo Dei loquentis uocem audiret. In ualetudinarijs, & noſocomijs infirmorum curam gerere ſolitus ſternere lectulos, euertere ſordes, nec officia abiectiora defugere: undecumque occaſionem & materiam abijciendi ſeſe captare. Talem uerò, tantamque modeſtiam & ſubmiſſionem nẽceſſariam eſſe dicebat, cùm ad diabolum, ſuperbiæ caput, debellandum; tum ad Dei gratiam promerendam, & hominum beneuolentiam comparandam. Negabat enim quemquam è Societate Deo, ac proximis fideliter & fructuosè operã nauare poſse, niſi cõ-

temptorem sui, & de se, suisque rebus humiliter sentientem.

CAPVT QVARTVM.

De vitæ asperitate, & corporis castigatione.

FVit quidem Ioannis vita absoluta vndique, & consummata cunctis virtutum ornamentis ad Euãgelicam perfectionem comparatis, sed imprimis voluntaria corporis, & animi mortificatione, vt vulgò dicimus, mirabilis. Nam vbi primum se addixit Societati in suum sæuire corpus instituit, nunquam intermisso castigandi rigore, nec priùs sæuiendi, quàm viuendi finem fecit. Perpetuas agebat excubias aduersùs carnis illecebras; haud ignarus intra nos esse hostem perpetuum, a quo dum viuimus tuti esse non possumus, qui eò perniciosior est, quò familiarior: eòque pugnare audacius, quò arma pugnanti faciliùs tribuimus, dum sensui & voluptatibus indulgemus. Hunc sibi Ioannes hostem proposuit, quem acerri-

mo persequeretur bello : illius expugnandi causa arctissima quodam modò seipsum obsidione cinxit : ferrea quippè catena sæpiùs circumducta corpori, fortiterque constricta, non sine acerbo sensu doloris se cruciare didicit, Xauerij, qui id suæ ad Deum conuersionis initio præstitit, exemplo motus, & licet ob necessariam in domesticis occupationibus corporis agitationem, dirissimam vexationem sentiret, patiendi tamen amor, suique ipsius odium cruciatus superabat; cùm sibi persuaderet prauas animi & corporis affectiones illa quasi catena vinctas, in potestate habendas. Ab inita Societate assueuit his quotidiè se flagellis cædere : in nudo, vti erat vestitus, cubare solo : somnum verò crebris interrumpebat suspirijs, quæ in cælum, ceu amoris iacula, emittebat; ne illo etiam tempore, quod necessariæ corporis quieti impenditur, animus rerum cœlestium meditatione vacaret. Horrenti, textoque in modum indusij cilicio ferreis aculeis armato, carnem domabat. Tam nouas, ac multiplices se cruciandi artes excogitabat, vt omnes in eo curas, cogita-

tionesque consumere uideretur. Totius uitæ cursum ita instituit: ut singulos Lunæ, Iouis, & Saturni dies ab omni cibo prorsùs abstineret: Martis uerò, Venerisque simplici pane, atque ubi sitis urgebat, frigida contentus esset. Ab esu carnium ad multos se continuit annos. Vlteriùs in seipsum sæuiendo procederet, nisi currentis impetũ superiorum imperium retardasset, qui certas illi leges, terminosque quos non excederet, præscripserunt.

Semel tantùm, ut alijs morem gereret reti: equo nunquã usus est: perpetuò iteragendi pedibus morem tenuit, siue ad audiendas infirmorum confessiones per uicinos Vrbi pagos, uillasque itaret; siue in Prouinciæ mediterranea prędicandi Euangelij causa ad multas leucas excurreret, siue ab uno ad aliud collegium se transferret. Viatorio utebatur baculo, ut affectum morbis, & senio iam graue corpusculum sustineret: tantaque celeritate iter agebat pedibus sæpè nudis per loca difficilia, & saxis aspera, ut Brasilios ipsos itineris socios, duros alioqui homines, & cursu uelocissimos longo interuallo præiret: cumque ad occurrentes passim lapides offenderet, & tri-

tribuli altè infixi plantas læderent, de cu rrendi tamen ardore nihil remittebat, perinde ac si incomoda illa, vulneraque calcaria currenti admouerent. Interdũ insertas pedibus ocreas iniectis de industria scrupulis asperabat, vt hi plantas sauciarent, nec sine acerbo sensu doloris cõficere viam posset. Hæc, & id genus alia Dei famulus sui castigandi corporis causà, illudq; in officio cõtinẽdi, nõ modo pręstabat alacriter, sed in sũmis habebat delicijs; idẽ tidẽ repetens; *Acerbã sibi* futurã vitã, si vel vnus dies vacuus cruciatib. abijsset.

Est in Brasilia enormium quoddam culicum genus (*marigui* ab incolis dicuntur) ad immanitatem molestum ac importunum. Solent hi maximam anni partem vias & domos obsidere, transeuntibus & stantibus iuxtà infesti, visu tetri, sonitu ingrati, morsu terribiles: ceu bellum denuntient, primùm sibilant, mox aculeum exerunt, & pungunt altè ac tenaciter: nec mora nec requies: vbi insidunt, hærent, & sugunt sanguinẽ, incredibili lęsorum dolore, qui eos modis omnibus conantur abigere, ne lanienam illlam patiantur. Hos Almeida auidus expectare, hilaris excipere, immotus sustinere, perti-

nax negligere: cũ tamẽ flueret ſanguis & tumor ex morſu exiſterit, doloris uehementisſigna, ſed nullo ſenſu dolẽtis: vt cùm mollis ad accipiendum ictũ eſſet ad reddendũ gemitũ ſaxeus videretur. Magna certè aliorum & cõmiſeratione & admiratione, qui malo ſuo quantus ex eo morſu doloris ſenſus exiſteret probè nouerant: ſed Almeida animum vel contemplatione auerte rat, vel patientia indurauerat.

Illius flagra pro ſacris habita pignoribus, in argentea incluſerunt theca Almeidæ gentis Dynaſtæ, & maioratui ea lege addixerunt, vt nullo vnquam tempore ad alterius familiæ Principes quauis ratione transferri, vel dono dari liceret. Alia afflictandi corporis inſtrumenta alijs ceſſere viris nobilibus, quorum tactu mortales innumeri depulſis repentè morbis, & ſanitate receptà, præſentem ſenſerunt diuini Numinis opem.

Verùm nihil fuit antiquiùs Ioanni, quàm motus animi a ratione abhorrentes quammaximè frangere: ſeque ipſum (quod præſtantiſſimum victoriæ genus eſt) vincere: argumento ſit, quod etiam læſus neminem vnquam

facto

facto, vel dicto læsit: quidquid sibi incommodi accideret æquo, & imperturbato ferebat animo, idem semper, sibique similis: nullo aduerso casu mobilis: ad eum ferè modum, quo subuectæ medio cælo aquæ non sunt tempestatibus & ventis obnoxiæ, quibus hæ nostræ inferiores agitantur: sed cælestem veluti naturam indutæ, cæli motus sequuntur constantes & ratos. Vt verò animo, ita & facie, quæ mentis speculum est, cælestem quamdam præferebat serenitatem, adeò vt a multis diceretur os Beati repræsentare; nimirum vbique, ac perpetuò serenum & lætum.

CAPVT QVINTVM.

De paupertate, & Castimonia.

NOn minùs enituit in Ioanne paupertatis amor, quàm animi moderatio: ex quo enim Christo in cruce confixus est, præter Christum sibi nihil reliquum fecit. Sic paupertatem amauit, nemo vt esset domi pauperior: dictitare solitus cum Regio Psalte: *Quid mihi est in cælo; & a te quid volui super terram?* *& cum* B.

Francisco Minoritarum parente: *Deus meus, & omnia.* Vestitus ei vilis ac detritus erat: pallio vtebatur varijs temerè assutis pannis deformato, vetusto item Breuiario. Paucos ad excolendum ingenium, & tuendam religionem libellos in cistella quadam è viminibus rudi opere contexta, domi asseruabat. Raræ cubiculi parietibus affixæ pendebant Sanctorum è simplici chartà imagines, fouendæ pietatis gratia, & mentis ad Superos reuocandę. Quinetā ipia munuscula, videlicet rosaria, sacras icunculas, agnos ex cera consecratos, & id genus alia, ita non habere studuit, vt siquando ab alijs sibi offerrentur, gratum donantis animum multa humanitate collaudans, gratiæ remitteret, ne earum rerum ipsius animus teneretur. Nullam in nudo cubiculo habebat sellam, qua sederet; ceu militis perpetuò excubantis, ceu peregrini ad patriam properantis habitum, moremque indueret, & a cella in cælū profectionem quotidiè adornaret. Pręcipuo sēper honore coluit nascentis in stabulo Pueri IESV mysteriū, in quo summæ paupertatis, & clarissimū rerū omnium inopiæ dedit specimē, vt ab illo mortales disce-

rent,

rent, quàm sibi cordi esset paupertas, quam ipse statim uitę initio amplexus erat: & illius exemplo ducti caduca despicerent, & amarent æterna.

Cæterùm licet Almeida Euangelicam paupertatem unicè diligeret, aliorum tamen inopiam, quibuscumque poterat modis, subleuare curabat. Miserrimum quemque studiosè complectebatur. Multa sibi a viris pijs & opulentis donata pauperibus distribuebat: eaque ratione diuitum charitatem fouebat, & egentium consulebat necessitatibus. Solatia & remedia ægrotis, vestimenta seminudis, alia egentibus subsidia subministrabat. Cùmque alius non dabatur miseris benefaciendi modus, seipsum illorum obsequio, seruitioque dicabat, & miras ad id benè præstandum excogitabat artes; maximè vt pupillis, & viduis, omni destitutis ope, victum & vestitum quæreret. Maiori curà puellarum, quarum pudicitia ob angustias rei familiaris periclitabatur, honori prospiciebat, & commodo: dabatque operam, conquisitis per Saccararias officinas eleemosynis, ut illę, cōstituta ex ijs dote, idoneis viris nuberent. Dicebatur iam vulgò

pauperum pater: quò titulo gaudebat maximè, illumque egregijs implebat, & illustrabat factis.

Par euangelicæ paupertati cordis mundities fuit, & castimonia. Ab ineunte ætate didicit Deiparam eximia religione colere, vt illius patrocinio tectus domesticum superaret hostium hostem, & virginitatis florem ad extremum vsque spiritũ custodiret illęsum. Accessit intenta sensuũ omniũ custodia, & insignis amor continentiæ pari cum libidinis odio coniunctus, adeo vt minimas huius generis labeculas, ipsumque horreret libidinis nomen. Londini in Anglia, vti huius operis initio diximus, in primo adhuc ætatis flore, salacis fæminæ, quæ illum deperibat, dolos elusit, & victoriam fugiendo comparauit, ratus vnicam, certamque salutis viam, periculi fugam esse, eamque maturam. Iterum in Brasilia alterius audaciam fæminæ, quæ multis eum illecebris & lenocinijs ad turpe flagitium incitabat, acri obiurgatione repressit. Sed cum Satanæ mancipium, casto Dei timore abiecto, serpentem in pectore amoris foueret flammam, semel prætextu pij nego-

tij

tij Ioannem ad ſe vocari iuſſit, & occaſione capta, ſolicitauit ad turpia: cohorruit is, & ſurrexit diſceſſurus: illa verò amens apprehenſo abeuntis pallio retinere conata ire tentando perrexit. Tum ille periculi memor, Ioſephum Patriarcham imitatus, reiecto, vt liberiùs fugeret, ab humeris pallio, celeri ſe fuga domum proripuit, pallijque iacturam fecit, vt candidam innocentiæ veſtem retineret.

Quam habebat cordis munditiē, eā externo etiam corporis habitu præferebat. Modeſtia in eo ſumma elucebat, quæ latentis in animo florem honeſtatis explicabat: erat vultus grauitas, non tetrica, aut triſtis, ſed ſuaui quadam hilaritate temperata. Cauebat etiam, atque etiam ne ſuperuacanea locutione, curioſo oculorum iniectu, alioue leuiori geſtu vel minimam peccati labem contraheret, qua puriſſimi candorem animi aliqua ex parte fædaret. In decora item oris ſpecie adeo ſanctitatis fulgebat color, & quoddam Angelicæ lumen integritatis, vt intuentibus cùm cæterarum virtutum, tum potiſſimùm pudicitiæ amorem quaſi afflaret. Narrabant

quàm ut illi mentis corporiſq; mundi-
tie integritatem imitarentur Angeli-
cam. Idcircò ad huius præſertim vir-
tutis ſtudium omnes tum ſermone,
tum exemplo incitabat, & idonea
tradebat documenta, quibus impuri
dæmonis vitarent inſidias; nec ſe in
obſcænas effunderent voluptates. Sæ-
pè contigit, (quod ingentis prodigij
loco haberi debet) vt ex ijs nonnulli
fædis & importunis tentationibus a-
gitati applicito corpori cilicio, quo
Ioannes vtebatur, ſenſerint ſubitò re-
preſſam carnis tyrannidem, depul-
ſumque peccandi periculum, quaſi il-
lud a caſtiſsimo viri corpore virtutem
traheret ad affectos etiam aliorum
animos perſanandos.

CAPVT SEXTVM.

Eiuſdem Obedientia.

VNam præ cæteris obedientiæ
uirtutē coluit eo nomine quòd
religioſę perfectionis ſumam contine
ret: & quòd illius potiſsimum rationē
haberi uoluit Sanctiſsimus Societatis
noſtrę parens Ignatius. Colebat etiam
obedientiam eam ob cauſam religio-
ſius, quòd peculiarem Chriſti humani
generis ſeruatoris virtutem eſſe ſcie-
bat.

bat: quamquam enim cæterarum virtutum formam hominibus ſeipſum ad imitandum propoſuit; tamen ſingulari quodam priuilegio primas obedientiæ detulit, vltimũque vitę actum obediendo concluſit: *Factus obediens vſque ad mortem.* Vt primùm Almeida in ſacram tyrocinij palęſtram intulit pedem, & acrem aduersùs veterem hominem pugnam ſuſcepit, omnem quicquam volendi, omnem quicquam iudicandi facultatem exuit, in quo ſumma obedientiæ laus ponitur. Totum ſe ad Superiorum arbitrium finxit, Diuinum in illo numen venerans, ex eorum voluntate omninò pendebat, non modò ad imperium, ſed nutum intentus. Non Superioribus ſolùm, quos Dei loco in terris habebat, ſed inferioribus etiam, qui ab illis imperandi facultatem acceperant ſeruiebat ea alacritate, & religione, vt apertè oſtenderet Chriſto ſe magis, quàm hominibus obedire. Ad eum, huius exercitatione virtutis, euaſit apicem per tres gradus aſcendendo, in quos Sanctus Pater Ignatius obedientiam digerit, vt difficillima perinde ac facillima, ſuauiter obiret. Non erit ab inſtituto noſtro

alie-

alienum exempla aliquot commemorare, e quibus pronum erit de reliquis coniecturam facere.

Loandam, Vrbem Angolæ principem, de qua in loco meminimus, Hollandi cùm occupassent Anno M. DC.LI. Franciscus de Scotomaior, Lusitanæ in Brasilia classis Præfectus, idoneam militum manum nauibus eò conuehere decreuit, vt rei Lusitanæ extremo laboranti periculo subueniret. Vnum à nostræ Societatis Præuinciali Sacerdotem postulauit, qui audiendis militum confessionibus, sedandis inter illos discordijs alijsque pietatis Christianæ officijs obeundis nauaret operam: eaque ratione diuinum sibi numen placaret: neque enim nisi propitiato Deo, sperari posse de molestissimo hoste victoriam. Satis constabat illam expeditionem non minùs periculosam esse, quàm longinquam; virumque exigere Apostolico plenum spiritu, qui Præfecti votis, & Lusitanorum expectationi responderet. Ergò Prouincialis, vt Francisco morem gereret, domi in publico Sociorum conuentu retulit, velle se vnum ex ijs ad missionem Angolanam deligere; pro-

inde

inde ſiquis ad ferendos illius labores, & iuuandos milites diuino ſe ſpiritu ſentiret impelli, id palam ſignificaret. Tum verò pulcherrima multorum ambitio ſe prodidit Angolanam petentium miſſionem: cuncti ad illam certatim dare nomina, ſeque vltrò paratos offerre ad maris nauſeam, ad famem, ad ſitim, ad æſtum, ad mortem ipſam Chriſti amore, & animarum ſalutis causà tolerādam. Omnibus tamen Almeida palmam præripuit & Prouincialis vota alacritate prę̀uènit. Illicò effętum corpus trahens ad illius ſe pedes abiecit: eamque prouinciam ſuis humeris imponi multis cum lacrymis poſtulauit: ſeque ad labores omnes & ærumnas terrà marique ferendos paratiſſimum obtulit: nec quicquam deeſſe, (affirmabat ille) ad diuini Numinis inſtinctum, quo ſe iamdudum ad Angolanam expeditionem ſentiebat impelli, niſi eius, quem diuinæ voluntatis interpretem ducebat, imperium. Gratiſsimum cunctis fuit flexis ante Præſidem genibus Ioannem videre ſenio iam penè confectum, & morbis obrutum lacrymas vbertim fundere, & multis illam precibus expeditio-
nem

nem ambire; maiore ſanè animi ardore, quàm vigore corporis. Voti tamen compos non eſt factus: habita quippè vltimę ſenectutis, qua grauabatur, ratione domi iuſſus eſt ſancto vacare otio, & obtemperandi ſtudium, multaque pro Chriſto patiendi ardorem ad agendum cum Deo, Cælitibuſque transferre. Alteri è Socijs ætate & viribus firmiori illud tum fuit onus impoſitum, qui multis poſteà laboribus in Angolam conſumptus ex hac vita ad cæli patriam emigrauit. Suæ tamē virtutis nō cōtemnēdū fructum Ioānes tulit: nam domi, foriſque & admirationi fuit vniuerſis, & documēto.

Iam ſuo loco narrauimus qua animi alacritate, Socijs, qui aderant, ſtupore defixis furenti ſe Oceano exigua canoa commiſerit, vt ex ſuperiorum mandato, ſub ipſam Ignatij parentis diem, in Sanctorum Collegio Sacris adeſſet ſolemnijs: quod reis ipſa præſtitit, ſedata repentè procella, marique pacato. Iterum vectus equo cùm rapidiſsmum fluuium tranſire vellet, tentandi causà vadi, præceſſit, vt Prouinciali, qui ponè ſequebatur, illūque pręire iuſſerat, qua tranſeūdū eſſet oſtēderet. Ecce tibi medio

in

in fluuio ingens arboris truncus ; quem radicibus auulſum rapidus voluebat amnnis, tanto in equum impetù incurrit, vt ſeſſorem ſella excuſſerit, præcipitemque in profundum eſtuderit alueum: iamque vorticibus implicitus hauriendus uidebàtur, cùm repentè, addito diuina ope animo, profundo emerſus fluuio, ad ulteriorem ripam ſaluus euaſit, tam ſibi conſtans, & præſens, ac ſi nullum prorsùs adijſſet uitæ periculum. Quod ille Dei beneficium obedientiæ meritis acceptum retulit.

CAPVT SEPTIMVM.

Non nulla poſt obitum Ioannis prodigia.

ET ſi multà, eàque præclara in omnibus Ioannis uitæ partibus eniteant prodigia; non pauca, nec obſcura mortem proximè ſecuta ſunt, quibus diuini Numinis prouidentia famuli ſui ſanctitatem illuſtrare uoluit, & partã in cælo gloriam, uti par eſt credere, hominibus palàm facere. Singula recenſere nimis operoſum eſſet,

ſet, & faſtidium lectoribus afferret: quæ magis eminent referemus, ne officio deeſſe noſtro uideamur.

Immane quoddam tuber cuiuſdam fæminæ oculis incumbens faciem mirum in modum deformabat, & uidendi uſum impediebat; & quod periculoſius erat, ſerpebat in ſingula momenta malum, nec multæ medicorum arti, remedijſque cedebat: ergò ſudariolum Ioannis tinctum cruore fronti applicitum tuber confeſtim depulit, & uidendi facultatem expeditam reddidit.

Dominicus Goncaluez Vrbis Ianuariæ ciuis, membris iamdudum captus, & lecto affixus erat; & corporis morbum mentis ægritudo cumulabat: tentatis omnibus fruſtrà remedijs, Antonius à Roſa, uir pius & honeſtus, partem induſij, quo Ioannes indui ſolebat, quodque is ingentis loco theſauri, domi aſſeruabat, contractis infirmi membris admouit: è ueſtigio Dominicus mentis ſe compotem factum ſenſit: nec multò poſt corporis ſanitatem recuperauit.

Ioannes Teixeira Coutinius in eadem Vrbe Presbyter ex continuo &

co-

copioso sanguinis fluxu in apertum venerat vitæ discrimen: exhaustis iam cum sanguine viribus, corpore desicere, animo linqui cæperat; & ex ipso oris pallore, & ex recedentium albore oculorum mors esse in limine videbatur. Itaque humana ope desperata vertere se ad diuinam Ferreiræ familiares. Linteolum, quo iacentis in feretro Ioannis facies cooperta fuerat, moribundo applicant: illius tactu stitit cònfestim sanguis, redijt color uiuus & uires etiam integræ decumbenti redierunt.

Infans, *Maria* nomine grauiori, quàm pro ætate, febri correpta, eiusdem ope linteoli conualuit protinus.

Intererat aliquãdo Missæ Sacrificio in Societatis tẽplo Beatrix de Aguiar cum subitum passa animi deliquium, mortuæ similis in terràm corruit. Cęterùm ubi auulsus a capite Almeidæ capillus iacẽtis caput attigit, nulla interposita mora, omnem sensuum usum recepit: deinde mentis compos facta, suis ipsa pedibus domũ redijt. Tam uehemẽs capitis dolor Lusitanũ uexabat puerum, ut de potestate mentis sępè deijceret. Humani inops præsidij diuinum à Ioanne deposcit: uittam ipsã,

quæ

quæ illius brachium ligauerat, cùm extremo laborans morbo incisa uena sanguinem misit, cingi sibi caput curauit: eoque adhibito remedio depulsus est dolor, & mens etiam restituta.

Ignatio de Abreu inter edendũ spina transuersùm hæsit in gutture, adeoque tenaciter, vt nulla humana ope excuti, extrahiue posset: morti iam proximus Ioannis auxilium implorauit; & Deiparę coronam, quæ demortui contigerat corpus, de collo suspẽdit. Ecce tibi faucibus auulsa in stomachum spina descendit eaque ratione periculo explicatus Ignatius grates Ioanni referre non destitit.

Duo germani fratres non minùs moribus, quàm morbis similes, diuturna languebant febri: medicamenta complura ne quicquam experti erant: ergò Ioannis uestem sæpiùs osculantur, fronti, & pectori apprimunt non minori fiducia, quàm pietate: nec spe frustrantur sua recuperata protinùs sanitate.

Ingens noxi humoris copia in sinistrum Antonij Corręę latus defluxerat ibique collectũ instar saxi induruerat; nulla chirurgorum arte ab eo quem semel

ſemel inſederat loco, pelli poterat. Acceſſit tumoris 'appēdix dolor acerbus, cui ferendo infirmi vires nō erant. Deſtiterāt a curatione chirurgi, quòd & inutilem, & malo peiorem aduerterent: quare Antonius illorum deſtitutus ope, interceſſorem apud Deum Ioannem adhibuit, ac eius reliquias affecto lateri applicauit: harumque virtute ſtatim ſenſu doloris caruit, & tumor euanuit; nec doloris vllum, nec depulſi mali veſtigium remanſit.

Erat de mancipij Angolani ſalute prorſùs conclamatum: cęperant iam obrigeſcere pędes, pectus intumeſcere ſpiritùs viæ ingenti pituitæ copia obſtrui:]tenuis tantùm cordis pulſus vitæ reſtabat indicium. Acerbam miſeri vicem dolens Ioannes de Lago, Chriſtianæ catecheſis libellum, quo Almeida, dum in viuis eſſet, vtebatur, capiti decumbentis admòuit: ſimulque præcepit adſtantibus, vt abiecti in genua orationem Dominicam cum Salutatione Angelica ſemel pronuntiarent. Quàm deplorata ſalus, tam prompta pietas fuit: & ſuus pietati fructus reſpondit: finitis precibus, penè mortuum reuixit mancipium,

ocu-

oculos aperuit, bene valuit.

Costa quidam Lusitanus ex collecto circa digitum manùs dextræ noxio humore malignum vlcus contraxerat. Periculum erat ne sensim serpendo manum corriperet, & brachium inficeret, quod aut secari necesse esset, aut neglecto mori: magna vi medicamentorum nihil profecit: itaque decretum vt amputaretur digitus, quòd maximè horrebat ægrotus. Ad Ioannem igitur prouocauit à medicis: minori impendio salutem recepit: immitti iussit eius reliquias ossium in vas aquæ: hanc bibit; vix dum biberat cùm vlcus resedit, virus euanuit, digitus ad statum redijt, & manus digitum nouit, & suum fecit.

Non minùs illustria Bahiæ patrata quã in Fluuio Ianuario prodigia. Carnosum tuber Sacerdoti e nostris, cui cui Simon Costa nomen, occupauerat occiput, & lapidis instar indurauerat: ex eo periculum quòd radices egerat, seque diffuderat: nec præcidi sine multarum iactura partium poterat. In arcto positus nouemdiale sacrum Ioanni instituit; eo peracto cùm conclamatum dicerent chirurgi, mollescere tuber visum est detume-

sce-

ſcere, donec emiſſo pure dimiſit inſolentiam, & reliquis ſe partibus æquabile reddidit: eoque admirationem excluit, & pietatem ergà Ioannem excitauit.

Ancillæ cuiuſdam filiola graui oppreſſa morbo nullis poterat artis medicæ leuari ſubſidijs: actum de illa putabant omnes: huic Maria Bulliona fæmina Luſitana, Ioannis effigem admouit, & illius tactu ſanitatem reddidit.

In quadam conficiendi ſaccari officina *Pitanga* nomine, infans annos non ampliùs duos natus, morti iam proximus, ſemel, ac iterum tactis Almeidæ reliquijs, mortem euaſit; ita geminato beneficio viri Sanctitas clariùs confirmata.

In *Portu ſecuro* (ſic Luſitani appellant a tutiſſima nauium ſtatione Emporium) oſſis cuiuſdam tactus quod ibi ſumma veneratione colitur multis morbo laborantibus ſaluti fuit.

Spiritus Sancti Coloniam, quam Ioannes olim multos incoluit annos, ad Superos iam translatus beneficijs cumulare non deſtitit. Illud in paucis memorabile quod anno a Chriſto nato M. DC. LVIII. in oppido eiuſ-

dem

dem Coloniæ nomine *Victoria* contigit. Dionisius Brauo iam destitutus a medicis non tam cum morbo, quàm cum morte luctabatur: illi quippe laxato peritonæo in scrotum intestina defluxerant, & concepto extrà destinatum sibi à natura locum frigore obriguerant. Tentatis omnibus frustrà remedijs vt suum se colligerent in sinum, mortem opperiebatur in horas. Aderat illi Collegij Societatis Rector, vt institutis ab Ecclesia precibus animam agentem iuuaret: is diuina plenus fiducia scriptam Ioannis manu epistolam, quam apud se habebat, moribundo admouit, & Pater & Aue a lecto assidentibus attentè dici præcepit: vix orandi initium factum, cùm effusa intestina in suum se recepere locum: & ægrotus qui mortuo similis omnibus iacebat sensibus destitutus, & loquendi facultatem amiserat, reuiuiscere visus est, factusque iterum loquendi potens, liberiùs iam meante spiritu, oculos aperuit, & contenta protinùs voce sanum sese, & salutem sibi a Ioanne exoratam exclamauit, vti reipsa compertum est.

Catharinam Alurz vlcerosus cancer inuaserat, & quà molliores & carno-

nosiores sunt partes, se insinuās, vnam è mammis insederat. Emicabat foras per ingentem tumorem periculum, seque cum horrore prodebat: quin & respirandi potestatem miseræ ademerat; cui demùm expirandum esset, nisi Ioannes, quem inuocauerat, opem tulisset. Recessit cancer, nullo sui vestigio relicto ad securitatem.

Serua quædam nobilis Lusitani Francisci Bullonij, in ipsomet puerperio cum morte conflictabatur: mortuus quippè illi fuerat in vtero fætus: nec is aut a parturiente eijci, nec ab obstetrice extrahi sine præsenti discrimine poterat, quod situ transuersus erat. Octo iam dies acerbis cruciata doloribus, & inedia confecta penè a notis derelicta propter intolerandum fætorem, quem cadauer illud emittebat, mortem habebat in visceribus; cùm illiùs misericordia motus Rector Collegij Societatis ad eam inuisendam venit, deferens litteras Almeidæ manu scriptas: easque moribundę applicuit. Rem miram: Subitò fætum eiecit, & meliùs habere cæpit, donec breui conualuit.

Alterius pectus fæminæ vlcus insederat omnium iudicio insanabile: vlceri

ceri acceſſit tumor ingens & febris ve-
hemens. Chirurgus remedia neſcio
quæ præſcripſerat: vicit tamen curam
omnem, artemque malum pro deſpe-
rato a cunctis habitum. Ergò infelix
Ioannem in auxilium vocat, eiuſque
epiſtolam adponit vlceri: ac eo ipſo
momento temporis perſanata eſt.

Ad Capitis Frigidi promontorium
Braſila fæmina è partu periclitans, e-
pota frigida, quam Ioannis reliquiæ
tinxerant, nullo negotio fętum edidit.

Quidam religioſus Carmelita, Tho-
maſia de Lima, duæ puellę Luſitanę, &
complures alij ex omni ordine, atque
ætate mortales varijs affecti morbis,
Ioannis ope ſunt reſtituti.

Ioannem Diaz. S. I. laicum, vehe-
mens ac diurna febris lecto affixerat:
accidit aliquando vt occulto quodam
ſpiritu motus ſolito vehementiùs ſa-
lutem a Deo expoſceret, & Ioannis
auxilium, vti voti compos fieret, im-
ploraret. In medio orationi s ardore
audijt Almeidam clara ſibi voce di-
centem: *Xerapim* quod Braſilicæ lin-
guæ vocabulum, *Vis mecum venire*, ſi-
gnificat: cui infirmus, *Præſtò ſum, mi
Pater* ſubitò reſpondit: ſubiunxit Al-
meida: *patienter feras morbi dolores*: His

dictis a diuturna febri se liberum sensit, nec multò post perfectè conualuit.

Æthiopis cuiusdam pes putridus, proximèque resecandus ne reliquum corpus inficeret, Ioannis ope pristinæ sanitati & vsui restitutus est.

In oppido Sancti Pauli fæmina quędam ex partus difficultate deplorata, appensis ad collum eiusdem Almeidæ reliquijs, facili ac felici partum fætum edidit.

Recifij (ita vocant munitissimam ad Pernambucum arcem) laborabat calculo Ioannes Mendoza: die quodam cùm se vehementiùs dolores intenderent, nec quidquam multis adhibitis remedijs de rigore remitterent, vestem, qua Ioannes viuens vtebatur, affecto admòuit corpori: confestim mitigatis doloribus e lecto surrexit, ualetudine in posterùm gaudens integra & constanti.

Maria Cæsar, Ioannis Fernandez clarissimi Ducis coninx, Paschalis Pereira, Ioannes Pimenta, Antonius de Silua, & permulti alij Lusitani, & indigenæ grauibus affecti morbis, partim tactis Almeidæ reliquijs, partim illius inuocato nomine, conualuere protinùs.

Non

Non minùs enituit Ioannis virtus in liberandis energumenis, quàm in depellendis à corporibus morbis. Olindam propè fæmina quædam diù, multumque a malo exagitata dæmone, sano dèmum consilio Ioannis ossis particulam collo sibi alligari curauit; cuius uirtute effectum est, vt dæmonis confestim tyrannidem excusserit.

In pago Iguàricù ingens dęmonum turba puellam quandam arripere solita nullum vexandi miseram finem faciebat. Solemnes non semel adhibitæ adiurationes; quarum vim hostiũ pertinacia, occulto Dei iudicio, eludebat: saxei ad sacras induruerant preces. Ignatio Societatis nostræ parenti, & Almeidæ eius filio, liberatæ puellæ decus reseruari videbatur. Itaque Collegij. S. Rector, postquàm Socij multas ad Deum fuderant preces, & ipse diuinam hostiam ad aram immolauerat, Sacrum numisma Ignatij effigie insculptum, & Almeidæ reliquias ad energumenæ collum amuleti loco, appendi iussit; quibus illa munita præsidijs, molestum protinùs abegit hostem; & in posterùm Ignatij & Ioannis tutelæ se commisit; haud

ignara quantis apud Deum,& quàm propitijs intercessoribus niteretur.

Illud longe illustrius & mirabilius Pernambuci contigit Anno Salutis humanę M.DC. LVII. Quidã optimę indolis adolescens in Societatis gymnasio humanioribus litteris nauabat operam: huic aliquando Satan se spectandum prębuit religiosi viri habitu, grandi macie deformis, & oculis ad modestiæ normam compositis. Ac primùm se illi ostendere valde benignum & affabilem: quin etiam multa consulere,quę speciem præ se ferebant honesti, vt ijs deceptum faciliùs postea in fraudes,exitiumque induceret. Pauci abierant dies, cùm deposito religionis habitu, Æthiopis personam assumpsit; illaque studiosi oculis repentè obiecta, Satanam se prodidit. Exinde detracta iam larua comparere specie varia; inculcare passim turpia: nullam quietis partem misero concedere. Horrendis sæpè illum visis perterrere vt exanimaret; & a contemplatione cælestium ad curam & tutelam sui abduceret. Semel ei per ingentem terræ hiatum vastam & profundam ostendit foueam; flammis, fumoque fætido vndantem, partem scilicet

licet inferorum in qua volui vidit certos quoſdam homines ſibi notos, flagitijs famoſos, qui tum in Braſilia viuebant, ſpecie horribili damnationem præſeferente: quo perculſus ſpectaculo vehementer cohorruit: ſed, vti ſolebat, cùm in eiuſmodi oſtenta incideret, magiſtrum ſpiritùs adijt, & uiſi participem & timoris fecit: qui vt erat imprimis caùtus, & probè nouerat quàm timeret dæmon Ignatij Societatis noſtræ parentis nomen; & quàm tum rebus miris per Braſiliam geſtis Almeida clarus eſſet; diuino, vt euentus docuit, inſtinctu motus, conſuluit adoleſcenti, vt illorum nomina inuocaret, & pileolum, quo Ioannes viuens vſus fuerat, præ manibus teneret, cùm ipſum hoſtis inuaderet: quibus ille munitus armis ſic ab ſe abegit Satanam, vt nunquàm ſe illi quandiù vixit, ſpectandum dederit.

Plures certè menſes huiuſmodi Satanā inter & ſtudioſum pugna tenuit; quam illuſtris Cęlitum apparitio paucis poſt diebus clariorem reddidit. Nam cùm domi orationi vacaret adoleſcens, cælo repentè delapſi affuere multa nitētes luce Ignatius & Almeida, qui orantem iucundo intuitu, mirèque

rèque beneuolo solati, videri desierunt. Rursum die xxvi. Augusti insequentis Anni M. DC. LVIII. cum Missæ Sacrificio interesset in Societatis templo eosdem vidit Cælites instar Solis consulgentes: & Almeida ita ipsum est allocutus: *Vt quæ tibi euenerunt hactenus, ea apud omnes certam fidem faciant, tuum ne moreris adire magistrum, illique meo significabis nomine, in cubiculo P. Rectoris bursam ex holoserico asseruari, quæ corporis mei particulam continet recenti adhuc imbutam cruore.* Hæc dixit, & cælo cum Ignatio receptus, templo afflauit diuinam fragrantiam. Adolescens verò illa Beatorum specie mirificè recreatus, Magistrum confestim adijt, eumque de re tota certiorem fecit: qui adhibita statim diligentia, comperit ita se rẽ prorsùs habere ac Ioannes dixerat. Affecit hic casus ingenti admiratione vniuersam Pernambuci Coloniam; multumque Ioannis famæ & sanctitatis gloriæ adiecit; vt pote qui Ignatio solemni Ecclesiæ ritu inter Cælites iam relato, comes additus apparuit adolescenti clarissima circumfusus luce, eumque iuuit sui ope pileoli ad tartareas fugandas potestates: quo satis constitit mul

multum apud Deum gratia & authoritate valere; filiumque proximè secundùm parentem Ignatium esse apud superos, & plurimum inter nos posse.

Et quidem de Vita & gestis Almeidæ hactenùs. Hic quasi in termino longæ confectæ viæ positi oculos ad decursum spatium reflectentes, quæ ad lectorum profectum facere possunt breui periodo colligamus. En Almeida qui ex Anglia in Lusitaniam diuina prouidētia missus, & hæresis periculis explicatus, doctrinam fidei & morum alieno in solo hausit: adultus Societatem inijt, eiusque instituti rationes ritè seruauit: studijs operam dedit; & ijs absolutis, sacris initatus communi animorum saluti ex officio vacauit. Remotam ac barbaram gentem longè ab Europa excoluit, non minùs documentis, quàm moribus. Domi perfectus, foris vtilis: sibi intentus, alijs inuigilans: maioribus curis Deo impensis, cæteris in proximos deriuatis: rationem sui imprimis habuit; aliorum non neglexit: obiuit religionis munia, conuersionis exercuit: virtutibus iuxtà, & rebus mirè gestis clarus. Vitam illibatam sancta mors excepit, quam eximia est fama consecuta, pignore

im-

immortalis gloriæ, quæ piè credendum apud Deum frui, relicto. Eius ego memoriam custodire, & propagare scribendo studui, vt cùm illius gloriæ, tum nostræ vtilitati seruirem; quorum alterum si minùs consequi per inelegantiam styli potui; alterum propter narrationem rerum consequi me spero: ea quippe sola species exempli obiecta oculis legentium, sine vllis illecebris, lenocinijsque eloquentiæ ad imitationem tum domesticos, tum externos inùitabit, qui mihi præter Dei Opt. Max. gloriam, quam præ oculis habere Ignatij filij debemus, est palmarius & præcipuus in hac scriptione finis propositus est; quo certè obtento, iustam, imò & vberem laboris impensi in scribendo mei mercedem accipiam; quam in lucro ponam ad noua in publicam vtilitatem fænora exercenda.



FINIS.